



W. E. C. C.
L. 128

W. E. C. C.


Vol 2. y

Vol 152



218963808





co
ho
re
fil
te
tri
ne
tal
da
bu
on
cia
tu
gij
ti e
lita
rei
uui
bu
ph
ex
ha
si l

19

18

17

16

15

14

GIIS LIB.

2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15

uix sine ipsa posset
stere. Neq; em ulla
cia, nedum ciuitas
ufficit, sed altera al
xilio indiget, hæc
a uino, alia pastio.
gento ceterisq; me
alijsq; rebus abun
gibus, uino, opi
m aliquib. At nõ
igantiũ commer
non omnib, quan
s nationibus nauĩ
iantĩ ergo momẽ
tio, quantæq; uti
oda ex ea compa
uel regio uel pro
uitas, alterius opi
distimauit philoso
arbibus ac regnis
otam paratãmque
onis cõmoditatẽ,
alijsq; præesse. Il

LILLII GRE

GORII GYRALDI

FERRARIENSIS, DE RE

nautica libellus, admiranda quadam

& recondita eruditione refer-

tus, nunc primum & ma-

tus & æditus.



Cum priuilegio Cæsareo.

Basileæ, apud Mich. Isingrinium,

M. D. XL.

HERCVLI DVCI

MAXIMO.

*Iam classis bene nauibus referta est,
Instructi simul ordines, & ipsa
Armamenta parata, machinæq;
Ut fluctus ferat impetumq; uenti.
Adbuc sed tamen artifex ueretur,
Ignem ne patiatur & procellas,
Quod nondum datus imperator illi.
Si DVX magne uoles nouæ præesse
Instructæ simul & fauere classi,
Non ignem patietur & procellas.*

LILLI GREGORII
GYRALDI FERRARIEN.
ad D. HERCVLEM II. Esten. Fer
rariensium principem, in librum
de re nautica

P R A E F A T I O.



Collegeram Illustriss. Princeps
annis superiorib. quandã quasi
uasorum congeriem, & ex ijs
confusum incompositumq; uelut aceruum
accumulaueram; uisum mihi postea est non
ingratũ studiosis fore, si in proprias par
tes & in uolumina distinguerem, hoc est,
ut suis quæq; ministerijs redderem, idq; in
primis feceram de uasis, quæ ad deorum
sacrificia, eorumq; ceremonias pertinere
uidebantur; tum de ijs quæ sepulchralia
nuncupauit. Nunc nõ diuersa modò totius
rei nauticæ & nauigiorum uocabula, sed
& eorum membra ac symmetrias, arma
mentaque omnia quantum in me fuit sum

P R A E F A T I O.

executus, idq; summorum uirorum autori-
tate & exemplo, & in primis Apollo-
dori, qui apud Græcos eam rem diligen-
tissimè pertractauit, & nonnihil Iulius
Pollux in Onomastico: autores itè qui de
Architectura, quiq; de re militari per-
scripserunt, ut historicos mittã. Extat &
Alberti Leonis nauis. Audio & non-
nullos hodie idem conari, sed, quo ego mo-
do, neminem. Ardua profectò prouincia,
& quæ minimè fuerat imbecilli ac parum
firmo tentanda. Sed cum collegissem, quid
facerem? fuerat'ne, quæ tanto labore &
studio fuerat comparata, tineis & blattis
mittenda? aut igne aquisiue abolenda? mi-
nime. Præstandum quod possumus. Be-
ne quoquo modo merendum. Etenim si nõ
coryphæos, & emeritos, candidatos sal-
tem demerebimus: nec talentum ingratus
infodiam. Quare te Princeps opt. max.

oro, ut

P R A E F A T I O.

oro, ut oram soluenti adsis, & tuo favore
protegas, quæ tuo nixi præsidio in lucem
damus. Sed iam instituti operis initia pau-
lò altius repetam, ut in re tam humili ua-
ria saltem lectione te, uel per te potius le-
ctorem detineam, atque in primis, quæ de
inuentoribus diuersa traduntur,
quam breuissime poterò in
medium pro-
feram.

A 3

LILLII GRE

GORII GYRALDI

FERRARIENSIS, DE

renautica libellus.

Varia de nauium earumque armamento-
rum inuentione, & qui primū in renau-
tica, sydera, Magnetisque pyxidem exco-
gitauere. Caput 1.



Ngitur, ut ab hoc incipiā,
Neptunus nauigandi artē
inuenisse, classemque insti-
tuisse à Cretenfib. dictus
est: quin, ut ait Diodor. à Saturno pa-
tre classi maritimæ præfectus est, eaque
in primis ratione maris deus habitus
est. Alij Mineruā primā nauem moli-
tam esse tradunt, quod cū poëtis Ter-
tullianus, in eo qui est de coronā mili-
tis, prodidit. Ethicus tamē Hister, qui
in latinum sermonē ab Hieronymo
conuersus creditur, Pyrrhonum in-
quit magum antiquissimū ratem pri-
mam in Lydia fabricasse. Idem & Isi-

dorus, sed Pyrrhoni nō meminit. Eusebius Pamphili ex Phœnicum theologia, Vsonem ait arboribus amputatis ambustisque primum mare ingressum. Subiungit idem, Samothracas primos naues construxisse. Clemens uero Alexandreus, Atlantem in Libya naues excogitasse scribit. Pomponius Mela, Phœnicas ait maria adire instituisse, quod & Tibullus eo uersiculo testat̃, Prima ratem uentis credere docta Tyros. Dionysius Punicus, Ægyptiorum inuentū naues arbitrat̃. Nam & ex Ægypto Danaum in Græciam uenisse legimus, cum Ægyptum fratrem fugeret, unde & nauis ab eius nomine *Ναυαϊς* nuncupata est. Sunt inter Græcos qui eā pentecontoron fuisse affirmant, sic à numero filiarum appellatam. Hesiodus poeta Myrmidonas in Ægina insula primos nauigasse putauit. Thucydides Corinthios ait naues ad eam formā

formã excogitasse, qua suo tēpore Athenienses utebantur, quo loco idem scriptor colligit, qui in tota Græcia primi nauigare cœperunt. Sed & Pliniꝝ hac de re uerba meo arbitratu interpolata subscribã: Primus, inquit, nauem in Græciam ex Ægypto Danaus aduexit, antè ratibus nauigabañt, inuentis in mari rubro inter insulas ab Erythra rege. Reperiuntur qui Myfos & Troianos priores excogitasse in Hellesponto putent, cum transirēt aduersus Thracas. Paulò mox subdit: Longa naue Iasonē primū nauigasse, Philostephanus autor est. Charax uero nō una solū naue, sed classe Iasonem nauigasse scriptum reliquit. Diodorus tamen Siculus, Sesostrin Ægyptiorum regem longa naue primum nauigasse prodidit. Idem et Herodotus, qui ait Erythræos ab eo rege longis nauibus ad deditiōnē redactos. Celebratur & illa eiusdem regis

navis et LX
subscr
 navis ex cedro CC. & LXX. cubi-
 torum, quę exterius undiq; inaurata,
 intus uero deargentata fuit, deoq; ma-
 ximo Thebarū oblata. Egeſias Par-
 rhalum longę nauis inuentorem ſcri-
 bit, Cteſias Samyram, Saphanus Se-
 miramin, Archimachus Ægeonem.
 Biremem Erythraeos feciſſe Dema-
 ſthenes ſcribit. Triremem Amoclem
 Corinthium Thucydides, ni potius
 Aminoclen ex græco Thucydidis co-
 dice legamus. Quadriremem Cartha-
 ginenſes feciſſe Ariſtoteles prodidit,
 autore, ut ait Clemens, Voſporo.
 Quinqueremē inſtituit Neſichthon
 Salaminius. Sex ordinum nauim Ze-
 nazoras Syracuſius. Ab eo numero
 ad deciremē Neſigetōn. Alexādrum
 magnū ferunt inſtituiſſe ad XII. or-
 dines. Demetriū Antigoni ad LXX.
 Ptolemæum Philadelphum ad XL.
 Ptolemæum Philopatorē, qui & Try-
 phon cognominatus eſt, ad L. Onera-
 riam

galens et

riam nauim Hippus Tyrius inuenit, lembum Cyrenenses, cymbam Phœnices, celocem Rhodijs, cercyram Cyprijs, que & cercuros uocatur, alia licet sit opinio, eam scilicet à Corcyreis inuentam. Scaphã Illyrici excogitarunt. Ventorum uero rationẽ *Æolus* *Æolus* Hel-
lenis, ut Plinius: ut poëtæ, Hippotæ filius inuenit. Syderum obseruationẽ in nauigãdo Phœnices, nõnulli Thaletæ Milesium unum ex septem inuenisse prodiderunt. Diogen. Laërtius Phœcium Samium ait. Callimachus suo quodã iambico minoris ursæ inuentionem illi attribuit, qua Tyrijs nauigationem suam dirigunt. Nuper quidem Lusitaniæ & Hispaniæ classis gubernatores Itali, australis poli stellis cõspectis, nauigationes regere cœperunt, quibus tot iam regiones parũ antiquis scriptoribus cognitæ subinde adeunt nostri, ut nouum iam orbẽ uulgò inuenisse dicantur. Sed & non

multis retro seculis Amalphis in Cā-
 pania oppido, antiquis nauigādi usus
 incognitus per magnetem & chaly-
 bem, quorum indicio nauē ad polos
 diriguntur, à Flauio quodam excogi-
 tatus traditur, quæ res nunc uulgari
 uoce, nautarum pyxis, seu pyxidicula
 magnetis appellat̃, qua cum tabula,
 in qua orbis descriptio est, nauæ cur-
 sus metiuntur, et facillime quantū na-
 uigationis peractū sit, intelligūt. Qua-
 re cum carerēt antiqui, difficillime na-
 uium cursum metiri poterāt. Longe
 em̃ difficilior eius nauis ratio est, quā
 tradit Vitruuius in suæ architectoni-
 cæ decimo; sint licet qui apud Plautū
 uersoriam existiment nauticū esse in-
 strumentum, haud fermè huic pyxi-
 diculæ magnetis absimile, ex quo so-
 luturi nauæ cognoscerent, unde fla-
 rent uēti, & an mare nauigationē ad-
 mitteret. Sed nos iam reliqua prose-
 quamur. Remi latitudinē inuenere,
 inquit

inquit Plinius, Plataeae, atque ob id ego
 puto Plataensium nauigatione à Stra-
 bone celebrari. Remum Copae, uela *uela*
 Icarus inuenit, ait Plin., ut uero Dio-
 dorus, Æolus. Sunt qui Isin putent,
 ut latius cum de uelis agemus doce-
 bimus. Malum & antennam Dæda- *Malus*
 lus, Hippagū Salaminiū, aut Pericles *antenna*
 Atheniēsis, Tectas naues longas, hoc *nauis tectas*
 est, cataphractas, Thasij: antea ex pro-
 ra tantum & puppi pugnabatur. Ro- *Rostra*
stra nauis addidit Pisæus, & Tyrrheni *nauis*
anchora. Eupalamius eandem biden- *anchora*
 tem, uel ut Strabo scribit, Anacharsis *anchora*
 Scytha. Idē Anacharsis harpagonas, *harpagonas*
 & manus ferreas Pericles Athenien- *manus ferreas*
 sis, adminicula gubernandi Tiphys *adminicula*
 adinuenisse fert̃. Classe princeps de- *classe*
 pugnavit Minos. Ethicus uero His- *Minos*
 ter rostratas naues ait in oceano se- *classe*
 ptentrionali à Gryphone quodam fa- *Gryphone*
 bricatas, qui apud Scythas artifex ex- *artifex*
 ortus, multarum artium, et præcipue *multarum artium*

prope fabrica in ueniam nauis

naualiū & fornacum fuit, atq; ideo ab indigenis magus ipse Grypho in deorum suorum numerum relatus est.

Hactenus de nauium inuentoribus, earumq; armamentis, de quibus etiā nonnullis latius suis locis agemus. In præsentia mittam quæ de naue Nochi in sacra historia traduntur, qua ex aquarum alluione, non humanum modo, sed animantium genus omne reparatum legimus.

Quæ ex nauigatione uel commoda uel incommoda habeantur. Cap. II.



Quum satis multa, ut opinor, de nauigandi & nauium inuentione attulerim, priusq; ad cætera me conferã, non nihil etiam de nauigationis cõmodis & incõmodis, tibi quàm potero breuius subiungere par uisum est, ne quod potissimum in re qualibet censerì solet, præterisse tibi uideri possim. Illa igitur nauigationis præcipua utilitas, illud est

commo-

cōmodum, quod uix sine ipsa posset hominū uita subsistere. Neq̄ em̄ ulla regio, non prouincia, nedum ciuitas sibi sola ad omnia sufficit, sed altera alterius & ope & auxilio indiget, hæc tritico & fruge, illa uino, alia pastione, hæc auro & argento ceterisq̄ metallis, alia materijs alijsq̄ rebus abundat; contrā, alia frugibus, uino, opibus uacat, uel horum aliquib. At nō omnia hæc per nauigantiū commercia cōmunia fiunt; non omnib. quantumuis longinquis nationibus nauigijs important. Quanti ergo momenti est in uita nauigatio, quantæq̄ utilitatis, cum tot cōmoda ex ea comparerentur; cum nulla uel regio uel prouincia, nec quidē ciuitas, alterius opibus nō indigeat. Existimauit philosophus Aristoteles, urbibus ac regnis expedire, ut promptam paratamque haberent nauigationis cōmoditatē, si libera esse uelint, alijsq̄ præesse. Il-

las nos certe uidemus cum in præsen-
tia, tum apud antiquos etiam urbes
excelluisse, quæ nauigationē paratio-
rem habuere, ut Alexandria, Cartha-
go, Athenę, Byzantium, Genua, Ve-
netiæ, & cæteræ. Adde quod ex nauí-
gatione, uentorum, turbinum, & tem-
pestatū signa certissima colliguntur.
Adde et illud, quod nauigatio multis
morbis medetur, ut docent Medici:
nam & affectis phthisi succurrit, & e-
gerentibus sanguinem, sicuti Anneo
Gallioni post consulatū, ut se memi-
nisse in xxxi. prodit Plinius. Alij ad-
dunt & multa alia, quæ fortassis ipse
omitto. Iam uero tibi quæ ex nauiga-
tione incōmoda proueniāt uel insint,
ex plurimis pauca proferam. Sunt in
primis pericula, quæ tot sunt & tanta
ut uix enumerari queāt, naufragia, la-
trocinia, prædones, piratæ, tempesta-
tes, cæca saxa, Scyllæ, Charybdes, bre-
uia, Syrtes, scopuli, belluæ, & marina
ipfa

ipsa mōstra humani sanguinis avidis-
 sima, & eorum pleraq; nauigantibus
 & nauibus insidiantia. Quid? si cæte-
 ra desint, nōne tribus tantum, aut ad
 summū quatuor digitis, ut ait poëta sa-
 tyricus, si sit latissima teda, sunt à mor-
 tis discrimine remoti qui nauigant? ut
 rectè Bias, qui inter sapientes numera-
 tur, nauigantes, nec inter uiuos, nec
 inter mortuos reponendos censuerit.
 Sunt & qui uentorū & nauium quibus
 imperant nauigantes seruos putent.
 Plautus certè non minus uerè quàm
 false illud ait, Negocij sibi qui uolet
 uim cōparare, Nauim & mulierē, hæc
 duo cōparato. Nullæ em̄ res negociū
 maius habent, & ut Phocylides ait,
 ἐπει πλῆς ὄστιν ἀδελος, quoniā, inquit, nauī-
 gatio est inmanifesta. Scribit in Phæ-
 dro Plato, quod qui in nauib. uersan-
 tur, rudes sunt, & à moribus alieni: ne
 tibi nunc recitem nautas infames à le-
 gibus taxatos. Deniq; ut semel finia,

qui mare nauigant, ut ait Sapiens, pericula narrant. Mitto quæ Plinius, & quæ à poëtis traduntur: ipsam em̄ nauigationem, & qui primus nauigare coeperit, detestantur: ut ad alia cōmodum me conferam.

Cur nauis inuenta, & quæ oneri aut cursui aptior, deque earum symmetria nonnihil. Caput III.

Ratum usum primū fuisse diximus: deinde maior hominum industria naues excogitauit, quibus nos nostraque transueheremus: hinc ad uarios usus, piscandi, peregrinandi, bellandi, ludendi, translatae sunt. Nauibus quidam se uti dixere quasi aquatico quodam elephanto, quē suis frenis moderent, et quò uelint agant. Alij cōtrà, nauim affirmant esse haud aliud quidpiam, quàm arcem quandam per maris æquora ambulantem. At nos ista mittamus. Nauis fabricandæ exempla ueteres à piscibus

scibus duxisse legimus: nam ab illorū dorso carinam, à capite proram, à cauda temonē, à branchijs remos formarunt. Quidā non à piscibus, sed potius ab auibus id factū arbitrati sunt, unde & poëta, uelorum alas uocat, id quod & Hesiodus, *υνὸς πτερὰ*, ubi & Proclus id ab auibus desumptum ait. Temonem quidem in nauī ab auium cauda formatū pleriq; credidere: sed & ab auibus nunc quoque seruant rostra uocabulum. Nauium uero in primis duo genera traduntur, onerariæ & cursoriæ: sic em̄ potius quàm fugaces, ut quidam bene docti, quæ cursui aptæ sunt appellarim. His longitudo aptior, illis latitudo. Hæ minus temonis imperio, illæ magis parent. Onerariæ longitudo ad latitudinē non minus tripla proportione esse debet. Cursoriæ non plus nona parte. Illud tamen utiq; obseruatū, ut quò latior onerariæ carina fuerit, eò firmiorem

fore sustinendis ponderibus. Ita Curforiæ, quo arctior carina, eo cursui agiliorem esse: quæ tamē ni saburra compleat̃, minus stabilis ut sit necesse est, magisq̃ fluctib. uacillabit. Carina ampla uadosis locis, gracilis alto mari tutior. Cui naui fuerint latera & prora celsa & sublata, aduersus quidem impetentes fluctus magis peruicax, uerū est magis uentis obnoxia. Proræ ductus quo fuerit argutior, eo cursui promptior expeditiorq̃. Puppis uerò quo gracilior, eo fulcādo mari aptior: quo uero latior, eo pigrior. Nauium umbones ac pectora, ualida & robusta, pauloq̃ promptiora esse oportet, ut remorum uelorumūe appulsu fluctus propellant, subinde tamē ad puppim paulatim gracilis cōstruenda nauis est, ut ueluti spōte sua lubrico cursu elabi uideatur. Temonū numerus na uigio firmitatē roburq̃ auget, cursu uero & uelocitatē minuit. Malo

nauis,

navis, quæ arborẽ quotidiano sermone uocamus, æqua ac nauis longitudo dari conuenit. Scribit Corn. Tacitus, breues naues à Germanico constructas, angusta puppi, proraq̃, et lato utero, quo facilius fluctus tolerarent: quasdam planas carinis, ut sine noxa fiderent: alias appositis utrinque gubernaculis, conuerso ut repente nauigio, hinc uel illinc appellerent: multæ pontibus stratae, super quas tormenta ueherentur, simulq̃ aptæ ferendis equis. Sedem huiusmodi conficiendarum nauium artificium ac symmetriã planius percipies ex libello Leonis Alberti Florẽtini, qui *Nauis* inscribitur. Nos nostrum institutũ exequamur.

Ex qua materia naues confici, & quo tempore cædi debeat, utq̃ ea non incendatur. Caput IIII.



Nunc ex qua materia conficiendæ naues sint expediã, non ignarus ex multiplici et

uaria eas construi solere, unde & pro-
 uerbiū inoleuit apud antiquos, Nec
 in nauī cadentem lignum attingere,
 cum in ea omnia fermē sint ex ligno.
 de ijs uidelicet, quæ passim & ubique
 occurrāt, cuius & Lucianus meminī.
 Qui igitur de re nautica præcepta tra-
 diderūt, has præcipuē arbores proba-
 uere. Cupressum, ex qua apud Assy-
 rios naues fabricari testis est Aristobo-
 lus, & ab eo Arrianus. Theophrastus
 quoq; hanc diuturniorē cæteris arbo-
 ribus tradit, id quod ex ualuis Dianæ
 Ephesie cōprobat. Eius autē diuturni-
 tatis rationē Vitruuius in secundo li-
 bro ostendit. Pinus etiam domestica
 siue syluestris commendatur adeò, ut
 plerunq; pro naue ipsa pinus à poëtis
 accipiatur. Notissimū est Catullianū
 illud, Peliaco quondā prognatæ uer-
 tice pinus Dicunt liquidas Neptuni
 nasse per undas. Sed & Artemidorus
 libro Onirocriticōn secundo, ipsam et
 strobi-

strobilos, hoc est, eius nucleos in som-
niorū interpretatione capiendos esse,
& nauigantibus omnibus ad naues,
quod ad ipsas præparandas pinus ido-
neæ sint, & pix & resina, quæ ex ijs ar-
boribus proueniant. Picea quoq; ad
nauium usum apta est, sed putrescere
celeriter incipit. Illud hoc loco mone-
re par est, quod *πίτυς* à Gaza & Her-
molao picea transferunt, & *πένκη* pinus,
cum alij pleriq; confundant: id quod
diligentiùs examinaui ex capite Dio-
scoridis de picea lib. 1. quo loco Mar-
cellus hallucinari ipse uideat, cum alios
taxare uelit. Laudat item abies, quæ
ad plurima usum præstat, quippe que
operib. omnibus, ut ita dixerim, ædifi-
catorijs aptissima est: sed nauibus qui-
dem propter flexum humidior capia-
tur necesse est, nam ad conglutinatio-
nem sicciior aptior est. Nauis em̄ com-
pacta ut extra mare fidelior cōstat, ita
& in mare pertracta, humore imbibi-

to se undiq; protinus comprimit, atq; rimis coniunctis omnibus continuat, nisi quicq; penitus exaruerit: tunc em̄ gluten aut omnino aspernat, aut non æquè recipit. Hæc Theophrastus, sed plura Vitruuius. Abies quoq;, ut pinus, à poëtis interdū pro naue sumit̄. Robur etiã ad fluuiatiles naues & lacustres utile, quod in eiusmodi aquis sit à putredine immune: sed in maritimis minus est idoneum, quod facile in mari putrescat. Probat & Theophrastus spinam nigram ad costas & uentris compages, quod ea robusta sit & incorrupta. Sed cur non hoc loco græcam diligentia adscribam: ita em̄ hanc partē est executus Theophrast. ut iure illum agnoscas Aristotelis & scholæ & doctrinæ meritò successorē. Abies, inquit, pinus, cedrus, ut summatim agam, nauib. aptissimæ sunt: triremes em̄ & longa nauigia leuitatis gratia faciunt: rotundas uero naues ex pinu, quo-

nū, quoniā non putrescit. Sunt & qui
 ex eadem trémes faciant, quod scili-
 cet abite carent. Qui autē Phœniciam
 Syriamq; colunt, cedro magis utunt̃,
 quod pino egent. Cyprii picea naues
 construunt, ea em̃ est in ipsa insula fre-
 quens, uideturq; etiam pino præstan-
 tior; & cæteras quidē partes ex ijs con-
 ficiunt, carinā uero trémemib. ex quer-
 cu subdunt, ea ratione, ut cum subdu-
 citur in terrā, queat resistere. Nauib.
 onerarijs pineam atque etiam quernā
 subiiciunt, minoribus scissimā, quam
 ὄξυνην uocāt, attribuunt; atq; in totum
 ex hac testudinē condere solent. Scissi-
 mam tanta proceritate apud Latinos
 prouenisse ferunt, ut cæsa pro carina
 Hetruscis nauibus sufficeret. Sanè pi-
 no atque abieti quercus conglutinari
 non ualet; altera em̃ spissa, altera rara,
 & altera similis, & altera minus. Affe-
 ctus autē similes esse eis oportet, quæ
 sociari conflariq; debeāt, non cōtrarij;

ceu si ligno lapidem cōiungere uelis.
 Tornatus nauib. rotundis ex moro,
 fraxino, ulmo, platano: lentitiam em̄
 firmitatemq̄ adesse oportet. Sed deter-
 rimus qui ex platano fuerit, celeriter
 em̄ putrescit. Sunt qui triremibus uel
 ex picea leuitatis causa tornandum sta-
 tuunt firmamentū, testudinem & au-
 riculas ex fraxino, moro, ulmoq̄ fabri-
 cant: ualida hæc em̄ esse oportet. Sed
 utiq̄ quod ab initio de cupresso & pi-
 nu diximus cōprobat Traiani nauis,
 quæ demum superiorib. annis inuēta
 est, & eruta ex Nemorensi lacu, cuius
 alio iam loco memini. At uero ficus ui-
 detur minus idonea nauigijs, atq̄ in-
 de emanauit uetus adagium, Nauis
 ficulna, quod in contemptū & irrisio-
 nem dicitur, qualis fuisse fertur Man-
 dronis nauis, qui cum nauta esset Im-
 perator euasit: uel sic dicta, quod ficul-
 na, quæcunq̄ uilia & inutilia sunt, ap-
 pellantur, ut ἀνθρώπος σύκινος, & ἐπικέρια

et alia, ut Theocriti et Aristophani
 interpretes obseruāt: uel quod po-
 tius existimo, quod ex eius arboris li-
 gno minus naues ædificantur. Alij ad
 hoc opus parandarū nauium omnem
 materiē probant, id quod & Claudia-
 nus poëta quadam sua comparatione
 ostendit, cuius uersus quoniam lepidi
 sunt, adscribere placuit. Sic qui ue-
 cturus lōginqua per æquora merces,
 Molitur tellure ratem, uitamq; procel-
 lis. Obiectare parat, fagos metitur &
 alnos, Et uariū rudibus syluis accō-
 modat usum. Quæ lōga est, tumidis
 præbebit cornua uelis: Quæ fortis cla-
 uo potior, quæ lēta fauebit Remigio,
 stagni patiens aptanda carinæ. Hæc
 quidē ille cecinit. Sed autores eam ui-
 deo omnino probare materiem, quæ
 nec fissilis sit, nec fragilis, nec putredi-
 ni obnoxia, tum eam etiā quæ minus
 fidat. Verum enim uero certo & statō
 anni tempore plerique omnes cæden

dam materiẽ autumant, quorum omnium rationes hic tibi complecti si uoluissem, iustum uolumẽ confecissem: quædam tantũ afferam, quæ mihi potiora uisa sunt. Heron græcus scriptor diligens, ut qui ex utriusq; linguæ autoribus libros xx. de re Rustica scripsit, & quẽ estimatus, ut puto, Constantinus ille Imperator, qui locupletius eandẽ rem rusticã totidem libris, & totidẽ plerunq; uerbis, ñsdemq; fermè ex autoribus complexus est, ambò lib. tertio, materiã ad ædificationẽ cædi præcipiunt, in primis mense Decembri & Ianuario, luna senescente & sub terra existente. Lunæ em̃ lumen ligna molliora facit, quæ uero tunc cæsa sunt minus putrescunt. Vegetius cum de nauigijs præcepta tradit, à solstitio æstiuale ad Calend. Ianuarias, & à xv. ad xxiii. lunam cædi præcipit. Columella uero à xx. ad xxx. lunam prodidit. Idem, ut paulò post

osten-

ostendemus, C. Plinius. At Pollio Vitruuius cum de eadem re scribit, materies, inquit, cædenda est à primo autumno ad id tempus, quod erit anteq̃ flare incipiat fauonius. Eius rei reddit & causam, quod ueluti prægnantes sint & foetæ arbores. Tum & subdit: Ergo si ea ratione & eo tēpore, quod suprà scriptum est, cæditur materies, erit tēpestiua. Quibus uerbis liquet, cur in Georg. poëta dixerit, Aut tēpestiuam in syluis euertere pinum. Idem & M. Cato: Materies, inquit, ubi solstitium fuerit ad brumam semper tempestiua est. Hesiodus quoq̃ poëta eadem penè in *Ægyptis* docet, atq̃ eo etiam clarius, si diligentius obserues, quæ eo loci à Proclo interprete scribuntur. Alia tamen esse uidetur Theophrasti præceptio, quæ tamen si recte examinetur, conueniat cum Pliniij & aliorū sententia: qui lib. xvi. rem totā hanc est executus, cuius quantum ad hanc

rem pertinent uerba subscribam. In-
 finitum, inquit, refert lunaris ratio,
 nec nisi à XX, in XXX. cædi uolunt.
 Inter omnes cõuenit utilissimè in co-
 itu sterni, quem diem, alij interluni-
 um, alij silentis lunæ appellant. Sic
 certè Tiberius Cæsar cõcremato pon-
 te naumachiaro, larices ad restituen-
 dum cædi ex Rhetia præfiniuit. Qui-
 dam dicunt, ut in coitu & sub terra
 sit luna, quod fieri non potest, nisi no-
 ctu. At si computant coitus in nouissi-
 mum diem brumæ, illa æterna sit ma-
 teries proximè cum supradictis syde-
 ribus. Quidam & canis ortum ad-
 dunt, & sic cæsas materies in forum
 Augusti. Nec nouellæ autem ad ma-
 teriem, nec ueteres utilissimæ. Cir-
 cuncisas quoq; ad medullam alij non
 inutiliter relinquunt, ut omnis humor
 stantibus defluat. Mirum apud anti-
 quos primo Punico bello classe Duil-
 lij Imperatoris ab arbore excisa L X.
 die na

die nauigasse. Contra uerò Hiero-
nem regē ducentas uiginti naues effe-
ctas diebus quadragintaquinque; tradit
L. Piso. Secundo quoque Punico bel-
lo Scipionis classis quadragesimo die
à securi nauigauit. Tempestiuitas etiā
in rapida celeritate pollet. Hactenus
Plinius. Sed nec illud hoc loco omise-
rim, quod est à Theophrasto prodi-
tum, uisco illitam materiem non arde-
re. Q. etiam Claudius in annalibus,
quod & Gellius repetit, turrim ligneam
ad Piræum Atheniensium portum,
quam Archelaus Mithridatis præfe-
ctus multo alumine obleuisset, Sylla
oppugnante minime arfisse. Vetus
quoque opinio fuit laricem igni non
cedere, & propè contra eum illæsam
persistere, quin & asseres obijciendos
aduersus ignis pericula, antiquorum
quidam iussere. Verum enim uero
hoc tempore usu comprobatū est uri
quidem, ita tamen ut ab se discutere

& repellere illum uelle uideatur, flammam enim non recipit, nec carbonem remittit, sed spatium longiore uix comburitur, quod minima sit ignis & aeris temperatura. Cognitum id summa Caesaris admiratione apud Larignum oppidum ex arboris copia nuncupatum, quando ignibus obvallata turris superfuit citra nocumentum. Totam hanc historiam pluribus libris, secundo recitat Vitruuius, Laricem utique Plin. in maritimis nauibus teredini obnoxiam ait existimatam. Sed de huiusmodi iam sit modus, ad alia properemus.

Pisces quosdam esse qui naves imitant, & qui nauigia remorentur: de qua gemma Agada, seu potius Sagda: quae item aedificiorum naues. Caput v.



Vnt etiam quaedam inter piscium auiumque genera, quae nauigia imitari uidentur, si non potius nos ab illis nauigandi rationem didicisse uideri possimus, ut quae de pisce Nautilo produntur, a qua re nomen ha-

men habere creditur. Huius quidem Aelianus & Oppianus historiam in ἀλιευτικῶν ingeniose describunt, & utroque prior Plin. in nono nat. hist. cuius uerba ea tibi ratione recitabo, quod Pliniū secutus uidetur Oppianus, nisi quod ipse poëtice illud addidit, quod ego totidem uersibus exprimere tentavi, ne te, quod multi hodie faciunt ad ostentationē, ut puto, græcis identidem allegationibus fastidiam.

*Plaustramaris naues qui primus repperit, ille
Sive Deus, seu mortali de semine natus,
Audax orauit fluctus tranare marinos,
Nauigium spectans piscis: dum robora necit
Fecit opus simile, hinc & uentis uela tetendit
Funibus, aptauit retro dehinc frena carinae.*

Plinij uero uerba hæc sunt: Inter præcipua autem miracula est, qui uocatur Nautilus, ab alijs Pompilus: supinus in summa æquorū peruenit, ita se paulatim subrigens, ut emissa omni per fistulam aqua, uelut exoneratus sentina, facile nauiget. Postea duo prima

brachia retorquens, membranā inter illa miræ tenuitatis extendit, qua uelificante, in auras cæteris subremigans brachijs, media cauda ut gubernaculo se regit; ita uadit alto liburnicarum gaudens imagine. Si quid pauoris interueniat, hausta se mergens aqua. Et quidem sic Plinius. Nec multo ab his diuersa in septimo Athenæus. Extat & græcum epigramma Callimachi de hoc eodem Nautilo deæ Veneri oblato, quæ in Zephyrio colebat, in quo & ipsius piscis historia perscribit. Sed aliqui hoc quod ex Plinio de Nautilo recitauimus, diuersum existimant ab eo quod Aristoteles in nono de animalium historia tradit; uidelicet quia Plinius Nautilum, Pompilum ait ab aliquibus uocari, cum & ipse Plinius, ut Aristoteles & Ælianus, in polyporum genere Nautilum reponat, nisi quod hoc amplius addit, ab alijs Pompilus uocitatur. Neque enim hoc loco de

co de Pompilo intelligit, de quo in thynnorum historia agit, & de quo Ælianus & Oppianus multa, & plura ex uarijs scriptoribus Athenæus, qui & facer piscis uocatus est.

Sedenim iam ad nauigeram aliam similitudinem, peneq̃ eandem trans-
eamus, quam in Propontide à se uisam prodidit Mutianus, Concham esse ait Achatae, seu ut castigat Hermolaus, Acatij modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hanc condi Nauplium animal sepiæ simile, ludendi societate sola, duobus hcc fieri generibus: tranquillo enim uectorem demissis palmulis ferre ut remis. Si uero flatus inuitent, easdem in usu gubernaculi porrigi, pandique concharum sinus aura. Huius uoluptatem esse ut ferat, illius ut regat: simulq̃ eandem descendere incluso sinu, fluctu hausto, territam uisu forte tristi: id em̃ constat rumore nauigan-

tium. Et hæc quidem de Nautilo & Nauplio legimus. Nautilum quidē, hirundines, aliasq̃ nonnullas aues in maris transitu imitari didicimus. Neritas quoq̃ quas uocant, in concharū genere nauigare scribit Plinius, testarum quidem alteram uento pandere, ipsam uero in altera residere. Narratur & de draconibus Asachæorū Æthiopum, qui maximī sunt in maritimis eorum, quaternos quinósue inter se cratium modo implexos, erectis capitibus uelificantes, ad meliora pabula Arabiæ uehi per medios fluctus. At nō etiā illud est miraculi simile, quod de echeneide tradiť, pisciculo illo quidem, qui ingentes tamen naues in medio mari sistere ac remorari dicĩť; unde & illi nomen latinē remora, ut græcē, *παρα τὸ ἔχειν τὴν ναῦν*, à retinenda scilicet naue. Audi quæso de eo ita Pliniū lib. xxxij. elegantis. differentē. Quid, inquit, uiolentius mari, uētisue, & turbinibus

binibus ac procellis : quo maiore hominum ingenio in ulla sui parte adiuta est, quàm uelis remisq̃ addatur his & reciproci æstus inenarrabilis uis, uersumq̃ totum mare in flumen : tamen omnia hæc pariterq̃ eodem impellentia, unus ac paruulus admodum pisciculus Echeneis appellatus in se tenet. Ruant uenti licet, & sæuiant procellæ, imperat furori, uirésque tantas cōpescit, & cogit stare nauigia, quod nō uincula ulla, nō anchoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrenat impetus, & domat mundi rabiem nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo quàm adhærendo. Hæc tantilla satis est contra tot impetus, ut uetet ire nauigia. Sed armatę classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur, uelut è muris, heu uanitas humana, cum rostra illa ære ferróque adictus armata, semipedalis inhibere possit ac tenere deuincta pi-

sciculus. Fertur Actiaco marte tenuisse
se prætoriã nauim Antonij properan-
tis circuire & exhortari suos, donec
transiret in aliam: ideoque Cæsaria-
na classis impetu maiore protinus ue-
nit. Tenuit & nostra memoria Caij
principis ab Astura Antium remigan-
tis, (ut res est, etiam auspicalis pisci-
culus, siquidem nouissimè tum in ur-
bem reuersus ille Imperator, suis te-
lis confossus est) nec longa fuit illius
moræ admiratio, statim causa intelle-
cta, cum è tota classe quinquere mis so-
la non proficeret, & exilientibus pro-
tinus qui id quærerent circa nauim,
inuenere adhærentem gubernaculo,
ostenderuntq; Caio, indignanti hoc
fuisse quod se reuocaret, quadringen-
torumque remigum obsequio con-
tra se intercederet. Constabat etiam
peculiariter miratum, quo modo ad-
hærens tenuisset, nec idem polleret in
nauigium receptus, qui tunc, postea-

que

que uidere eum, limaci magnæ simi-
lem esse dicunt. Atque hæc quidem
totidem uerbis Plinius, qui & libr. ix.
qua forma esset prodidit, quod idem
& Ælianus & Oppianus, Aristote-
lesq; secundo de historia animalium li-
bro meminuit, & in sexto Lucanus:
Non puppim retinens Euro tenden-
te rudentes

In medijs Echeneis aquis.

Meminit & in Sympotiacis Plu-
tarchus. Mutianus quoque muricem
esse latiore purpura, neque aspero
neque rotundo ore, neque in angu-
los prodeunte rostro, simplice con-
cha, utroque latere se colligente, qui-
bus inhærentibus plenam uentis ste-
tisse nauem portantem nuncios à Pe-
riandro, ut castrarentur nobiles pue-
ri, conchasque quæ id præstiterunt,
apud Gnidiorū Venerem coli. Idem
& Plinius xxxij. Huius etiam conche
Cassiodorus lib. primo uariarum, his

uerbis meminit: Meatus, inquit, nauium Echeneis morsus inter undas liquidas alligauit: aut Indici maris conchæ simili potentia labris suis nauium dorfa fixerunt, quorū quietus tactus plus dicitur retinere, quàm exagitata possint elementa compellere: stat pigra ratis tumentibus altè uelis, & cursum nō habet cui uentus arridet, sine anchoris figitur, sine rudentibus alligatur. & reliqua. Qui tamen ad hanc diem Echeneida, uel cōcham hanc uiderint, neminē comperi uel nautam uel piscatorem. Nauem etiam tardius incedere quidam prodiderunt, in qua fortè testudinis pes dexter uehat. Sed næ miraculosum æque illud uideri potest, quod à Solino est traditum, Agadan lapillum esse, qui spiritū habeat, nauibusq; qui ita adhæreat, ut nisi succidatur auelli nequeat. Hæc sunt Solini uerba: Agada lapillus à Chaldæis ad nos usq; fluit, haud facilis repertu,

nisi,

nisi, ut perhibent, ipsa se capessendam daret: namque ingenita spiritus efficacia supermeantes naues à profundo petit, & carinis ita tenaciter adcorporatur, ut nisi abrasa parte ligni separetur. Ea Agada apud Chaldaeos propter effectus, quos ex ea sciunt, habetur in loco principe, cæteris propter gratiã magis complacet iucundissimè uirens. Hæc quidem Solini uerba. Sed si Plinium & emendatos codices attendere malumus, Sagdam, non Agadam legemus. Sagdam, inquit Plin. in ultimo, Chaldaei adhærescentẽ nauibus habent, inuenitur prasinĩ coloris. Hec ille. Sed huiusmodi miracula minus mihi rata, ergo notiora alia attende, et in primis quod de agrestium ædificijs Numidarum, quæ Mapalia, Magaliãue illi uocant, ut est apud Sallustiũ: Oblonga, inquit, sunt, incuruisque lateribus tecta, ut quasi carinæ nauium uideantur. Cum enim illuc Persæ na-

uibus appulissent, incultaq̄ foret regio, nauium illi carinis sibi domicilia struxerunt; unde & eorum usus apud illos ita seruatus est. Meminit & Probus Valerius, in Vergilium, & Seruius, grammatici. Est & hodie in uernaculo quotidianoq̄ sermone, ut maiorum templorum, sacrarumque ædium partes nauium nomine nuncupentur. Fuit & Romæ locus Carinæ dictus, ut in nauium partibus planius ostendemus. Fuere itē rostra in curia, à nauium rostris dicta: & Vellabrum Romæ locus, à uehendis nauibus.

Miraculosa quædam in re nautica uideri, quæ naturalia cum sint, à philosophis anxie quærentur: tum de nauigijs ex arida uiridiq̄ materia confectis.

Caput VI.



Illud in re nauali diligenter accurateq̄ iam pridem à philosophis obseruatum est, tardius pigriusque naues hyeme per flumina procedere, & grauiora defer-

ra deferre onera, per mare uero pari cursu: quam rem in aërem referunt ij qui phisici appellantur, quod eo scilicet tempore fluuiorum aqua crassescat, & densior ideo fiat: qua de re & Plutarchus in causis naturalib. Sunt & in nauium ratione quaedam quæ naturali quadam obscuritate recte percipi non possunt, ut illud, Remum uideri inflexum in aqua. Item, nauem in alto uideri stare ijs qui sunt in litore: qui autem in mari uehuntur, uideri moueri eos qui in litore consistunt, cum tamē contrarium id sit. Quamnam uero naturali ratione id accidat, multis quidem difficillimum uidetur, atq; idcirco philosophorum pleriq; super hoc laborarunt. Ridiculum illud à plerisq; existimatur, quod est à Plinio lib. xxviii. nat. hist. proditū, in nauigando tēpestates abigi muliere denudata, etiam sine menstruis: cum eis uero, grandines turbinésque auerti.

Quærit & anxie Aristot. causam, cur nauigia interdum dum cursum agunt in quieto & tranquillo mari, repente absorbentur, in præcepsq; trahuntur, totaq; ita pereunt, ut ne naufragij quicq; fluitans usq; appareat: id ille pluribus in quæstionibus absoluit. Sed & hoc experientia cognoscitur, ut quæ ex humida materia nauigia construuntur, non eundem celeritatis usum habere, quàm quæ ex arida fiunt, id quod contra Cæsarianos milites Massiliensib. beneficio fuisse, in 1. bellorū ciuil. Cæsar ipse prodidit. Sanè & illud diligenter obseruarunt rerū naturæ studiosi, uacuū nauis corpus tantum ponderis sustinere, quantum sit aquæ pondus, qua possit ad iustū impleri. Vnde & tot amphorarū naues nō antiquis modò, sed & nostris tēporibus appellantur. Verum hæc tibi in præsentia significasse satis fuerit. Nunc quæ miraculosa sunt reliqua, his subsignabo.

Miraculosa multa de nauigijs, nec non de diuersis eorum generibus, deq; uutilibus, & quæ uutilia dicuntur. Cap. VII.



Nauium uel admirandas amplitudines, uel portentosas species mihi tradere uolenti, longiore orationis filo opus foret: quamobrem, si pauca tantum è multis, quæ cogitanti mihi succurrunt, adscripsero, hac tibi parte fecisse satis uideri potero, atq; adeò in primis fabulosa quædam recensebo. Argo græci poëtæ fabulantur uocalem fuisse, idq; ex tabula Dodonæa, eius à Pallade carinæ affixa: dictam uero ab artifice Argo, testis est Apollonius: tametsi non ab Argo, sed à Glauco fabricatam, Popsis Magnes apud Athenæum prodidit. Dictam alij à celeritate, quæ ἀγρός interdum græcè dicitur. Noster M. Cicero ab Argiuis innuit denominatam, quia Argiui in ea delecti uiri uicti petebant pellem inauratam arietis. Pherecydes ab Argo Phrixi filio di-

etiam existimauit, primamque hanc ipsam Argon longam nauem fuisse, atque de Argo fatis. Phæacum naues Homerus cecinit nullis instrumentis & nautis indignis: ex se enim & hominum mentes, & locorum situs cognouisse. Quid? nonne & idem Homerus ab Alcino rege Ulyssi datam nauem ait, quæ mox in scopulum à Neptuno mutata sit? Idem Ouidius & Procopius, idem & Solinus testati sunt. Sed & apud Athenæum scribit Apollonius Rhodius uel Naucrati-tes, cum Ocyroën puellam ab Apolline amatam Pompilus rapuisset, eius nauis in lapidem conuersa est, & raptor ipse in piscem mutatus est: à quarum fabularum similitudine potuit comode Vergilio præstari occasio, ut Æneæ naues Berecynthiæ matris beneficio in Nymphas mutatas finxerit, quod est à Criticis improbe Vergilio obiectum, ut impossibile: cum ea in poetis damnare

damnare non soleamus, quæ etsi supra naturæ vires, arcano tamen quodam sensu aliud innuunt, uel lectorē in miraculum impellunt: eoque magis si id antiquorum exemplo fiat, & eo præcipue Homeri. Sed quàm non damnabile sit quod Maro finxit, poetarum ingeniosissimus Naso declarat, qui ab eo in sua Metamorphosi totam hanc fabulam desumpsit, dignam scilicet ratus ut suo carmini infereret. Subit hoc loco memoriæ, miraculosa de nauigis cogitanti, quod est à Plinio proditum: Nauem à Myrmecide tam subtiliter fabricatam, ut ab apicula pennis absconderetur. Sed hæc mittamus, ad ea quæ ab historicis produntur, accedamus. Ptolemæi Philopatoris nauem Plutarchus tantæ magnitudinis & apparatus fuisse scribit, non ad ostentationē potius quàm ad aliquem usum esset. De eadē nauī & longe plura ex Callixeno historico Rho-

dio Athenæus lib. v. dipnosoph. commemorat, quo simul loco & eiusdem regis fluuiatilem nauem, Thalamegon uocatam, celebrat, quam cum in Nilo nauigare in delicijs habuit: longitudo eius DC. pedū, latitudo quinq; & XL. Reliqua idem Athenæus exequitur, qui & Hieronis regis nauem eò mirabili artificio constructam describit, ut nihil in ea deesset, quod ad rationē & proportionis & cōmensus conueniret, atq; adeò de ea Archimedes Syracusius, tantus eius ætatis artifex, librum scriptum reliquit. Nauis quidem artifex fuit Archias Corinthius, intra uero annum fabricata est. Materies ad eam cōficiendā ex Ætna cæsa tanta, ut LX. triremibus construendis satis esse potuisset. Fabri CCC. præter ministros. Verum cum tanta esset moles, Archimedes eā, ut in mare facilimè deduceretur, curauit. Clauis in ea ærei denarum librarum, XX. fuerunt

fuerūt remigij ordines, triplici fuit ædificij contignatione. Infima pars oneri & mercibus data, ad quam multis scalis descensus: media pars xxx. Cognitiones habebat ad utrunq; latus cōstructæ, in his lecti quaterni: item nauclericum cōclauē quinq; lectorum capax: ad hæc thalamitas, & culina, tum pauimentum structum opere uermiculato omnis generis lapidum, in eo pauimento bellum Troianū depictū. In summa parte nauis gymnasiū, ambulationes, cum omnis generis stirpium & arborum hortis, tum Aphrodisium conclaue stratū Achate, alijsq; ex Sicilia lapillis. Parietes nauis ex cupresso, fores ex ebore, & odorata materia. Fuit & exedra & bibliotheca, insuper & balineum, ut reliqua mittā, quæ potius ad stabile ædificiū, quàm ad nauigiū pertinere uiderent. Nam & in ea etiam equorum stabula, & militū habitationes, & præterea turre,

octo, & militaria instrumenta, & machinæ Archimedæ opera, tum demum ad armamenti omne genus loca idonea, quæ exequi nimis longum. In hanc nauim cum Archimelus poeta XX. uersuum epigramma condidisset, ab ipso rege donatus est mille frumenti medimnis, quos ex Sicilia in Pinæum usque deduci iussit. Extat & hodie epigramma ipsum: quod si emendatius nactus essem, his adscripsissem. Sed quanquam miranda & insolita arte Hieronis hæc nauis fuit, ipsam tamē cum magnificentia, tum reliquo omni apparatu Thalamegus, cuius modo meminimus, Ptolemæi Philopatoris excessit. Celebrantur quoque Poliorcætæ Demetrii naues duæ, quæ & machinis ac tormentis ad expugnandas urbes magnificè instructę fuerunt, ut Lysimachus rex, Demetrii licet hostis, cum eas uidisset, maxima sit admiratione affectus. Lege in ipsius Deme-

trij uita Plutarchum. De Sesostris Aegyptij regis nauis iam ab ipso libri initio locuti sumus. Id uero quod de Caij Cæsaris naue à Plinio scribitur, hoc loco non est omittendum. Abies, inquit, admirationis præcipuæ in nauis, quæ ex Aegypto Caij principis iussu obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorq; truncos lapidis eiusdem ad eum sustinendum adduxit; qua naue nihil admirabilius uisum in mari certum est. CXX. modij tunc lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere læuo: ibi nanque demersa à Claudio principe, cū tribus molibus turrium altitudine in ea exædificatis, obiter Puteolano puluere aduectis, quæ arboris crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. Atq; hæc quidem Plinius, qui & alio loco de eadem nauis meminuit. Et Suetonius, qui de eiusdem Caij Cali-

gulae liburnicis ita ferme scribit, adeo ut uideatur imitatus esse Hieronis nauem. Fabricauit, inquit, & de cedris liburnicas gemmatis puppibus, uersicoloribus uelis, magna thermarum, & porticum, & tricliniorum laxitate, magnaque etiam uitium & pomiferarum arborum uarietate, quibus discumbens de die inter choros ac symphonias, littora Campaniae peragraret. Nec nauis eius descriptionem omiserim, que a Max. Tyrio sermone xxxi. descripta est, regis cuiusdam supra Phoenicem (neque enim ille nomen apponit) qui ex Aegypto soluens, nauigaturus ad Troiam, latissimam nauem comparauit, quae amplitudine sua satis esset ad uniuersas simul uoluptates deportandas. Eius enim una pars assurgebat in regiam, in qua conspicui thalami lectis instratis, & gestationes pulcherrimae uisebantur. Egressis autem ad limen, pomaria occurrebant longe lateque porrecta,

cta, malis confita punicis, pyris, uitib.
 pomiferisq; plantarijs. Aliam uero na
 uis partem balnea cum gymnasio oc
 cupabant. Erat præterea hic popinam
 cernere, illic cõcubinarum lustra, illic
 cœnacula. Nullas præterea deesse lu
 xuriosæ urbis turpissimas officinas.
 Sed & eadem ipsa nauis iucundis co
 loribus undiq; depicta, gratissimum
 aspectum præferebat, aurum atq; ar
 gentum permultũ ostendebat. Sub
 dit mox idem: Cum portum nauis il
 la tam uasta egrederetur, insulæ flui
 tantis speciem præ se tulisse, & nidore
 ac odoramentis, tum simul tibiæ ac celeuma
 tis concentu omnia compleffe. Et pau
 lò post urbem uocauit. His & ea sub
 iungã, quæ de Traiani naue scriptũ le
 gi. Hæc paucis ante annis, quibus hæc
 ego prodebam, reperta fuit atq; eru
 ta ex lacu Nemorēsi in Latio, quo lo
 co annos plus MCC, demersa iacue

rat, ut coniectari potuimus. Qui uero ædificandarū huiusmodi nauium peritiam habent, se eam ita constructam compactāq; animaduertisse prædabant, pini uidelicet materiā & cupressi in ea egregiè uetustatem uicisse, idq; extrinsecus pice atra & tela lino agglutinata, superq; id chartā, uel lamellas potius plumbeas clauis quibusdā æneis cōfixas cōperisse. Est enim usu cōprobatū æs multo q̄ ferrū ad uetustatē magis durare, quod & Vitruuius & Vegetius affirmāt. Hanc Traiani nauem Græci scriptores triremis longitudine fuisse prodiderunt, latitudine uero holcadis, quod & ex eruta cognitum est. Cleopatreg luxuriosam admodum classem, potius quàm rectè instructā, rudentibusq; & uelis sericeis, hoc loco non plus quàm cæteri auctores recēsebo. Locupletissimi enim scriptores, ut alios mittam, Plutarchus, Dion, & Appianus eam describunt.

Vitiles quoque naues fieri ex corio circumsutas, Plinius autor est: ita enim scribit in iiiij. Timæus, inquit, historicus à Britannia introrsus sex dierū navigatione abesse dicit insulam Metterin, in qua candidum plumbum proueniat: ad eam Britannos uitilibus nauigijs corio circūsutis nauigare. Idem in septimo: Etiam nunc in oceano Britannico uitiles corio circumsutæ fiunt, in Nilo ex papyro & scirpo, & arundine. Hæc ille. Festus quoq; Auienus in iambico ad Probum:

Sed rei, inquit, ad miraculum

Nauigia iunctis semper aptant pellibus,

Corioq; uastum semper percurrunt fretum.

Arrianus etiã in Alexandro de istiusmodi nauibus meminit, ut alios mittam. Græcè uero ex corio naues *Βυζοπαιγεις* uocantur, quales & nos nonnullas uidimus à Gallis cōfectas, dum in Italia cum Venetis bellum gererent. Vitilia autem appellantur, quæcumq; ita lenta sunt, ut commodè in uolucrū

flecti possint, à uinciendo, ut quidam arbitrantur, appellata: unde & naues ipsæ uitiles sic dictæ, & uitiles uagine. Easdem & plicatiles idem Plinius dicere uidetur, cum de Æthiopiæ nauibus agit. Namq; eas, inquit, plicatiles humeris transferunt, quoties ad cataractas uentum est. Plicatiles etiã apud Strabonem uertit Tiphernas Gregorius, quæ *διὰλυτα* græcè *πλοῖα* ille scripserat. Sutiles etiam naues ab antiquis factitatas, cum Homerus & Vergilius canunt, tum Plinius lib. xxiii. lino confutas, non sparto testatur. Quo loco dubitat, cum Homerus ait, *καὶ σπάρτα λέλυται*: hoc est, ut ipse interpretat; & nauium sparta dissoluta, an de genista intelligendum sit, de qua lineã piscatoriam apud Græcos fieri alio quodam loco ostendit. Super hac re tamẽ est Gellij ex Varrone disputatio: eo enim tempore sparti usum non fuisse, præter hos, & Plinius nõ semel declarauit.

rauit. Atque ideo *πρωρα*, id est, fata interpretantur. Ex cannabe nanque & lino quæ feruntur, Græci suas naues consuere soliti fuerant. Vnde Verrius homo eruditissimus appellari existimauit hîstrica & liburnica nauigia serilla, propterea quod lino & sparto cõserta essent. Meminit uero de serilibus ita in nuptiis Pacuuius: Neculla subtus cohibet & cõpagem aluei, sed futa lino & sparteis serilibus. Sextus tamen Pompeius funiculis interpretatur. Illud utique Homeri quod diximus, ita enarrat non indoctus Euripidis scholiastes, ut *πρωρα* neutro & foeminino genere funẽ significare asseueret, ex quo & prouerbium illud doricum, cuius à magno Basilio fit mētio, *ὡς λίθον ποτὶ τὰν πρωρῶν ἄγοντες*: dirigēdum uidelicet lapidem ad filum. Vel, ut alij uerterunt, ad amussim, quod ita Chrysothomus in priore ad Corinth. epist. enūciat, *πρὸς τὴν πρωρῶν ἄγει λίθον*. Nō

plura attinet me hoc loco de scirpo spartoque afferre, cum de funibus, agam reliqua dicemus. Naues insuper & scaphas testaceas factas in Aegypto, testis est Strabo, hoc est, ὀσπράκινα πορθμεία. Matneas quoque, hoc est, iunceas & sparteas, & ex papyro legimus. Quin & ex libro papyri uela & tegetes factas noster prodidit Plinius, & Anagnus canit Lucanus, ut post ostendemus. Theophrastus de hist. plantarum lib. iiii. Papyrus, inquit, ad plurima utilis: ex eo enim nauigia faciunt, & e libro uela tegetesque texunt: funes insuper ac stragula, & uestes, atque alia, quae eadem uerba repetit Plinius lib. xiiij. qui & ait Antigonus regem eo in naualibus usum rebus, nondum in Syria sparto communicato. Nunc demum hac nostra etiam tempestate compertum est a Lusitanis & Hispanis nautis, qui diuersas ac incognitas orbis partes nauigando lustrarunt, populos esse Indias, qui nauibus

bus nullo ferramento compactis, sed palmarū folijs confutis utantur, quorum uela rotūda sint, & hæc etiam ex palmarum uimine contexta, quod genus nauū nunc iuncas appellant. Verum & apud antiquos ex uimine factas naues compertū habemus, quales à se factas prodit C. Cæsar in commentarijs, cum apud Iberdam fluuijs intercluderetur, quarum usum bello Britannico ipse perceperat. Idem & scribit poëta Lucanus in iiiij. suæ Pharsaliæ, cuius uersus apponam.

Primum (inquit) cana salix madefacto uimine, parua

Texitur in puppim, cæsoq; induta iuueno,

Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.

Sic Venetus stagnante Pado, fusoq; Britannus

Nauigat oceano. sic cum tenet omnia Nilus

Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Sed quoniã miraculosa cōscribimus, addendum & hoc loco quod de arundinibus agens scribit Plinius, deq; earum panniculis. Aut enim, inquit, pro pluma strata cauponarum replet, aut

ubi limosiore callo induruit, sicut in Belgis contusa & interiecta nauium commissuris ferruminat, textus glutino tenacior, rimisq; explendis fidelior pice. Hæc Plinius. Herodotus quoque in hunc propè modum: Babyloniorum, inquit, nauigia quæ per flumen commeant, orbiculata sunt omnia, atq; coriacea, quæ pecuarij Armenij, qui supra Assyrios incolunt, ex cæsis salicibus faciunt instruuntq; pellibus, nudo illarum extrinsecus posito in modum soli seu pauimenti: neq; puppe discreta, neq; prora acuminata, sed in speciẽ clypei magis orbiculata. Tale nauigiũ stipula refertũ fluuio deferendum permittunt cum alijs rebus, tum uero dolijs è palmularũ uino onustum, & cætera quæ in primo, hoc est, in Clio auctor ipse exequitur. Quo loco cum aliamalè, ut mihi quidẽ uidetur, tum illud Valla interpretat, dolijs è palmularũ uino: ita enim græcè Herodotus, μάλι-

σα δὲ βίκους φοινικίους κατὰ γαστρί οἴνου πλέους: hoc
 est, præcipuè uero bicos palmaceos ui
 no plenos. Sunt autem bici inter uaso
 rum genera, ut planè in uasis retuli
 mus. Erant igitur bici, quæ Valla est
 dolia interpretatus, uasa ex palma cõ
 fecta, non uinum ex palma, nisi fortas
 sis ipse aliam lectionẽ habuerit. Nam
 non me præterit & uinum ex palmis
 confici solere, cum in India, tum alijs
 præterea regionibus, ipso uel Plinio
 non semel referente. Rotundas etiam
 naues Alexandrum Macedonem ha
 buisse ab Arriano proditum est in vi.
 hist. quas quidem naues minus quàm
 longas passas esse discrimen ait, ea Hy
 daspis fluminis parte qua cum Acesi
 ne coniungitur: propterea quod eo lo
 co maximi fiant aquarum uortices, ex
 multarum aquarum concurrentium
 collisione. Sed nos nostrũ sequamur
 de nauium miraculis institutum. Scri
 bit Ethicus Hister scaphas uimine cõ

textas undiq; bitumine perlitas. Celebrat & portentosa nauigia Strabo patonas in Ægypto uiminibus confutas, de quibus suo loco agemus. Sed enim quod ex uiminib. salignis, alijsq; eiusmodi nauigia cōtexantur, etiam prouerbio inde ducto patere potest, quod est, *ὡς ἐν πλοῖοις διαπλεῦσαι*: hoc est, in uimine nauigare, id est, in naue uiminibus contexta. Meminit Aristophanes & Lucianus, & Suidas. Est autē rhips uirgulti genus flexibile, uel salignum uimen, ad cōsuenda contexendaq; aptum nauigia. Vnde nos adulescentes in monosyllabis ita lusimus:

Et qui nauigiū connectit flexibilis rhips. Naues etiam Indicas autores pleriq; tradunt ex arundinū internodijs, que nōnunquam hominum XII. capaces perhibentur, quarum ad quatuor millia Semiramis reginā habuisse in expeditione cōtra Indos, proditū est. Quæ uero tradātur hoc tempore

Indorū nauigia, cum magnitudine penè incredibile, earūue structura, tum de glutine ad ea picāda cōfecto miraculosa, legito eos qui nō multo antea orbis itineraria cōscripserūt. Illud quoq; à Strab. tradiť de nauiculis, quas ille calaminas uocat schedias, hoc est, rates, quo loco de asphalto agit. Idem & Diodor. lib. suæ bibliothecæ undeuigesimo: Calamorū hic, inquit, fascib. homines per asphalti lacum nauigare ad effodiendum bitumen, idēq; nō sine discrimine fieri. Vnde, inquit, duo ex uectoribus nauigant alligatis fascibus remis, & eorum tertius arcu & sagittis armatus ad hostes propulsandos intendit; itaq; securibus effosso bitumine, complent arūdineos fasces. Hanc rem pluribus ille enarrat. Ad hæc & naues ex testudinum conchis fieri solitas legimus, ab ijs in primis populis, qui, quod testudinibus uescātur, Cheionophagi uocati sunt, quarum nauiū

etiã Plinius noster in nono meminit, qui & Germaniæ prædones ait naues ex singulis arboribus construxisse, triginta interdum hominũ capaces. Scribit et Liuius Gallos ex singulis arboribus cauasse. Deinde, inquit, & ipsi milites simul copia materiæ, simul facilitate operis inducti, alueos informes, nihil, dummodo innare aquæ, & capere onera possent, curantes raptim faciebant. Vocantur quidem huiusmodi nauigia monoxyla, de quibus agemus. Relatũ est à Plinio in Thylo maris rubri insula, ab Alexandri comitibus naues tali materia factas, quæ CC. annis & amplius perseuerarent: & si mergerentur, incorruptas manere. Idẽ scribit & Theophrastus, qui et hoc ait, easdem naues extra aquam diuturnas quidem esse, sed nõ tantundem. Suionum, qui Germaniæ populi sunt, naues hoc modo describit Cor. Tacitus: Forma, inquit, nauium eo differt, quod utrinq;

utrinque prora paratam semper appulsui frontem agit, nec uelis ministratur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt, solutum, ut in quibusdam fluminum, & mutabile, ut res poscit, hinc uel illic remigium. Hæc Tacitus. Fuerunt & naues quædam turritæ, quæ machinationibus quibusdam in maritimas urbes arcesque armatos milites inferre solebant. His autem in naualibus prælijs usi sunt antiqui, quas describit Heron in libro de machinis bellicis, & Athenæus antiquissimus earum machinarum scriptor, in libro quem ad M. Marcellum dedit, earumque nauium unam cum descriptione schematissimum effingunt. Sunt & apud Vegetium Renatum, sed non tales, & ab illis ualde dissimiles. De turritis huiusmodi nauibus extat & apud historicos non modo mentio, sed & apud poetas. Cæsar in iij. bellorum ciuiliū, naues, ait, in quibus ad librā fecerat turre, Plinius

lib. xxxij. cum de echeneide agit. Sed armatae, inquit, classes imponunt sibi turrium propugnacula. Vergilius de Actiaca pugna: Credas innare reuulsas Cycladas, aut montes concurrere montibus altos, Tanta mole uiri turritis puppibus instant. Dion historicus eadem de re: Hi quidem inquit, turres & armamenta in mare proiecerunt. Appianus Alexandreus de bello civili: Et turres, inquit, in nauibus habebant, & ad proram & ad puppim. Certe & Pollux quoque in descriptione rerum nauticarum, & turres & turriculas commemorat, ut suo loco ostendemus, atque de his hactenus. Nunc ad sacra nauigia accedemus.

De nauigijs sacris, deque Saturni, & caelesti non nihil, quodque in sepulchris etiam in scalptis naues, & quod crux Christi in re nautica sit.

Caput VIII.



Ed nec illud tibi praetereundum, quod & in sacris nauium usus apud antiquos fuit, ua-

rieque

uarietate & ad superstitionem usque, afferamus in primis quod de nauis Aegyptia legimus, quam *Βάρειν* illi & *ἐπιβαθρον* nuncupant, licet in Diodoro perperam nomina haec legantur. Fuit autem baris nauis genus, quod Isidi sacerdotes quotannis dicabant. Nam cum mare uerna temperie tranquillum esset, Charon (sic enim nauis portitorum uocant) per paludem Acherusiam transuehebatur, obolum, quem danacem Graeci uocant, a uectoribus accipiens, unde est a Vergilio & Apuleio alijque imitatio sumpta; quam rem in sepulchralibus diligentius tractauimus. Herodotus quoque autor est bares ab Aegyptiis naues appellatas, quae ex spino & iunco sint circumfuta, quas & describit. Isidis etiam nauem Lactantius Firmianus in primo sic celebrat: Certus, inquit, dies habetur in fastis, quo Isidis nauis celebratur: is uero dies in mense Martio commemoratur, ut ex uetusta mensium

ratione collegimus, in eo quem de annis & mensibus libro composuimus. Huius nauis Lucianus in dialogo cui est titulus *πλοῖον ἢ θυγαῖ*, meminit. At simul ipsa, inquit, puppis paulatim affurgit inflexa, aureo chenisco imposito, e regione uero proportionem quadam prora in longum producta eminet, habens hinc inde signum deæ Isidis nauis cognomētum. Eiusdem meminit Apuleius in hunc propè modum, inueniens & ipse hunc mensis Martij diē, quem modo diximus, quo nauigabile sedatis tempestatibus fit mare, quare re mox planius. Apul. ergo: Diem, ait, qui dies ex ista nocte nascetur, æterna mihi nuncupauit religio, quo sedatis hybernis tempestatibus, & lenitis maris procellosis fluctibus, nauigabili iam pelago rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei sacerdotes. Idem ibidē, inquit, simulachris rite dispositis, nauem faberrimè factam,

factam, picturis miris Ægyptiorū circumseptus uariegatam, summus sacerdos teda lucida, & ouo & sulphure sollemnissimas preces de casto præfatus ore, quàm purissimè purificatã deæ nūcupauit dedicauitq̃, & cætera. Meminit & huius Isidis nauis Placiades Fulgētius in mythologico his uerbis: Europam Iupiter in tauro rapuisse fertur, hoc est, in naue tauri picturam habente, & Isidem in uacca similiter nauim huiusmodi picture: deniq̃ ut hoc certius esse cognoscas, nauigiū Isidis Ægyptus colit. Solis præterea imaginem, ut Porphyrius scribit, theologii Ægyptiorū in naui collocabant, quæ crocodilo ferebatur, id scilicet significantes, ut per nauim motum in humido, per crocodilum potabilem aquã, in qua solem ferri contendunt, intelligerent. Sed hæc mittamus. Athenienses & ipsi nauē sacrã habebant, quam Thesei fuisse credebãt, & quotannis

in Delon insulam mittere solebāt, atq; ideo Deliam uocabant: eam Suidas aliq; theorida appellāt, quæ quo tempore Delum mittebatur, nullus inter ea capitali supplicio afficiebat, donec ea redisset: qua causa factū est, ut diutius in carcere Socrates sit detentus, ut Plato in Phædone & Suidas tradunt. Hanc eandem nauem celebrat Pausanias, nullamq; illi similem scribit fuisse. Laudat & quam in Panathenæorū pompā ijdem Athenienses habebant seruatā in Areopago. Vlpianus Demosthenis enarrator duas Athenensium sacras naues ait fuisse, Salaminiā uidelicet & Deliam uocatam, & Paralou, quæ ad ea tantum quæ ad religionem pertinebant ferenda mittebatur, de qua suo loco agemus. Hac eadem, quam Salaminiam diximus, usi sunt Athenienses ad eos uehentos qui in iudicium citabantur. Hanc ad Alcibiaden agendum missam prodidit Thucydides.

cydides, Hinc & prouerbiū factum, Salaminia nauis, in eos qui summa celeritate aliquid conficiūt. Meminit triremis Salaminiae Plutarchus in Pericle, ut eius in qua ultimum esset praesidium, idēq; etiam Critolai astruit auctoritate. Scribit idem Vlpianus alias tres naues ab iisdem Atheniēsisibus factas, Antigoniada, Ptolemaida, & Ammoniada. Plutarchus uero quam Thesei nauē antē diximus, ait usq; ad Demetrii Phalerei tempora ab Atheniensibus conseruatam, eiq; senescenti uetera subinde ligna ablata, & robusta & ualida adiecta fuisse. Narrat & Triptolemi nauis à Philochoro, Longa, inquit, nauis Triptolemium ad urbem accedentem frumenta distribuisse, & ob id suspicionem dedisse quod nauis esset eius serpens pennatus, unde est poëtarum figmentum, Fuit & theoris sacra Lemniorū, qua Lemnus ipsa quotannis expiabatur ob sceleratū fa-

cinus in uiros cōmissum à mulieribus, & in nonum diem ignis qui in ea erat extinguebat̃, delatus ex insula Delo: & si priusquam insula expiata esset accessisset, nulli insulæ regioni appellebat, sed suspendebatur, donec fas esset ad nauigare, quo tempore terrestres deos & arcanos inuocabant, ignemq̃ qui in nauī fuerat custodiebant. Cum autem nauis accessisset, ignem distribuebant, omniaq̃ sua in melius mutabant, reliquaq̃ peragebāt, quæ Philostratus in heroicis exequitur. Suidas tamen, ut antè dixi, Deliam nauē hoc nomine *θεωπίς* nuncupare uidetur. Romani præterea usque adeo Saturni nauim, qua ad Italiam delatus est, colere, ut ea nummos signarent. Hinc Lactantius, Saturnum, inquit, errantem atq̃ inopem Ianus excepit, cuius rei argumenta sunt nummi ueteres, in quibus est cum duplici fronte Ianus, & in altera parte nauis, sicut poëta Ouidius canit:

canit: At bona posteritas puppim
 formauit in ere, Hospitis aduentum
 testificata dei. Idem & Plutarchus,
 & Plinius, & Probus in Persium. Et
 Macrobius in primo Sat. his uerbis:
 Hic igitur Ianus cum Saturnum classe
 peruectum excepisset hospitio, & ab
 eo edoctus peritiã ruris, ferum illum
 & rudem, ante fruges cognitas, uictũ
 in melius redegisset, regni eum socie-
 tate munerauit. Cum primus quoque
 æra signaret, seruauit & in hoc Satur-
 ni reuerentiam, ut quoniã ille nauis fue-
 rat aduectus, ex una quidem parte sui
 capitis effigies, ex altera uero nauis ex-
 primeret, quo Saturni memoriã etiam
 in posteros propagaret. Æs ita fuisse si-
 gnatũ, hodieq; intelligit, in aleę lusum,
 cum pueri denarios in sublimē iactan-
 tes, capita aut nauim, lusu teste uetu-
 statis, exclamãt. Et hæc quidẽ Macro-
 bius, alijsq;. Extant uetusta huiuscemo-
 di nomina sinata pleraque rudibus im.

pressa imaginibus, Iidem Romani, auctore Sexto Pomp. & Plinio, trientes ac quadrates rate signare soliti fuerunt, unde & ratici nominati sunt: asses uero naue. Ne hoc præterierim, sepulchra etiam nonnunquam nauibus insculpta fuisse, ut est apud Philostratum in hist. Tyanei Apollonij. Cum enim Erythræos quosdam Cissiam Mediæ regionem habitare tradat, subiungit, sepulchra etiã Græcis literis inscripta, & nauibus insculpta fuisse, ut quisque eam artem exercuisset. At uero quod in sepulchris quam quisque artē in manus haberet, effingeretur, ne in re nota laborem, sit satis Vergiliū attulisse, qui de sepulchro Miseni ita canit in vi.

At pius Aeneas ingenti mole sepulchrum
 Imposuit, suaque arma uiro, re-
 mumque tubamque Monte sub aërio.
 &c. ne tibi grammaticos, totue nunc
 marmora sepulchrorum nostratium &
 peregrinorum commemorem: sed &
 ipse

ipse in sepulchralibus aliàs plura. At
 uero nec coelū ipsum nauigijs uacat:
 quippe opinio est, Argo in coeleste sy-
 dus conuersam, unde & Flaccus ceci-
 nit: Etituram in sydera puppim.
 quam & loquacem, ut diximus, & fa-
 tidicam poëtæ uocant. Huius quidem
 nauis effigies nō integra inter astra cer-
 nitur: à puppi enim usq; ad malum di-
 uisa est, hominib. uidelicet significans,
 ne fractis nauibus nauigantes penitus
 desperent, deinceps etiam sperādum.
 Lucere uero XXIII. stellarum splen-
 dore Higinius putat, alij XXVI. Sed
 de hac coelesti naue Aratus & exposi-
 tores, astrologiq; scriptores plura: nos
 ideo satis superq;, id tantū tibi afferen-
 tes, quod in libro de Iside & Osiri Plu-
 tarchus scribit, nauim hanc coelestem
 ab Ægyptijs, non Iasonis, sed Osiridis
 uocatā. Est & apud T. Liuium inter
 prodigia secundi belli Punici, nauium
 speciem de coelo affulsisse. Nec id te la

teat uelim, morem Romanis fuisse sacrum expiandi ac purgandi classem, cum quid aduersi uel prelio, uel tempestate classi accidisset, aut immineret, id quod Appianus Alexandrinus libro bel. ciuil. v. hoc ferme modo declarat: In littore, inquit, maris altaria posita marinis undis alluuntur, omnisq; circumstat multitudo de nauibus linguis fauens: tum sacerdotes in mari stantes sacra faciunt, terq; per classem scaphis circumuecti sacra piamina ferunt, ducibus unã annauigantibus, ipsaq; piamina attollẽtibus, ut ab exercitu totaq; classe infelicia cuncta auectãtur depellanturq;. Diuidẽtes deinde ea, partem in mare porriciunt, partẽ altarib. impositã flammis adolent, ac protinus multitudo omnis ea benedicit, & bene precatur. Sic Romani classem expiare & purgare soliti. Hæc ferme ille. Quam religionem & poëta secutus Maro.

Sed age, nũquid fas minus fuerit homini

mini Christiano de re nautica agēti illud adscribere, quod à uiro sanctissimo Ambrosio est traditū; in re uidelicet nautica crucis signū inueniri, quo à labe primorū parentū omne genus humanum expiatū est. Ambrosij hæc sunt uerba ex oratione de cruce secunda. Grāde ergo, inquit, crucis est sacramentum, & si intelligamus, per hoc signum etiā mundus ipse saluatur: nam cum à nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, uelum distendit, ut cruce domini facta, aquarum fluenta rumpantur, & hoc dominico securi signo portū salutis petunt, periculum mortis euadūt: figura enim sacramenti quædam est, uelum suspensum in arbore. Hęc quidem diuus Ambrosius. Eadem penè à Septimio Tertulliano in libro aduersus Marcionem scribuntur: Nam, inquit, & in antenna, quæ crucis pars est, extremitates cornua uocantur, unicornis autem medius sti

pitis palus &c. quæ ille ait. Nos iam
ad nauium tutelæ & picturas acceda-
mus, missam hoc loco facientes penè
nunc fluctibus obrutã Petri cymbã.

Nauium tutelæ deis attributæ, quæue nauig-
ationi sydera secunda, quæue aduersa, deq̃
pictura & rubrica nauium, & de augurijs.

Caput IX.



Nauigationis & nauium tute-
lam suis numinibus gētes at-
tribuebãt, unde illud Poëtæ:
Et aurato fulgebat Apolline pupis.
Et illud Nasonis: Est mihi, sitq̃ pre-
cor flauę tutela Mineruæ. Nauis, &
à picta casside nomē habet. Itē Per-
sius: Et unã Ingentes de puppe dei.
Et alius: Tritonia nauis, quod eius Pal-
las esset preses, Alij Neptuno, alij Ne-
reo, alij Palemoni nymphisq̃ attribue-
runt. Nota nauis illa Alexandrina in
Actis apost. cui erat insigne Castorũ.
Sed illud obseruãdum, quod felix Ca-
storum nauigationi sydus antiqui exi-
stima-

stimauere, quos πολυδευκία Græci uo-
 cant, & ἀνάκους & ἀνάκας, & cum afflatu
 ἀνάχας, quod tempestates è sublimi pro-
 pellant, πρὸς τὸ ἄνω ἰγ' ἐκας, ἢ ἔχω. Vel ut Sui-
 das ait & grāmatici, πρὸς τὸ ἀγιάσω ἀγακοί,
 uti est ἀ φυλάσω φυλακοί. Alij alias horū
 nominū interpretationes afferūt, quas
 aliās commodius retulimus, & in Nu-
 ma Plutarchus recenset. Ab his utiqz
 celebritas illa quæ τὰ ἀνάκεια dicebatur,
 quasi depulsoria dicas. Scribit Annæ-
 us Seneca in natural. quæst. libro pri-
 mo de Castore & Polluce: Argumen-
 tum, inquit, tempestatis nautæ putāt,
 cum multæ transuolant stelle: quod si
 signum uentorum est, ibi uenti sunt,
 id est, in aëre, qui medius inter lunam
 & terram est. In magna tempestate ap-
 parent quasi stelle uelo insidentes, ad-
 iuuari se tunc periclitantes existimant
 Pollucis & Castoris numine. Causa
 autem melioris spei est, quod iam ap-
 paret frangi tempestatem & desinere

uentos. Hęc quidē Seneca. At Plinius
 ij. nat. hist. libro: Vidi, inquit, in no-
 cturnis militum uigilijs inhærere pilis
 pro uallo fulgurum effigies, eæ & an-
 tennis nauigantium alijsq; nauiũ par-
 tibus, ceu uocali quodam sono, insi-
 stunt, ut uolucres sedē ex sede mutan-
 tes. Graues cum solitarię uenere, mer-
 gentesq; nauigia: & si in carinę ima de-
 ciderint, exurentes. Geminae autem sa-
 lutares, & prosperi cursus prænuncię:
 quarum aduētū fugari diram illam ac-
 minacē appellatamq; Helenam ferūt:
 & ob id Polluci & Castori id numen
 assignāt, eosq; in mari deos inuocant.
 Hęc Plinius. Xenophanes Colopho-
 nius huiusmodi splēdores naturales,
 ut etiam Seneca existimauit, non stel-
 las, sed uideri ait, esse autem paruulas
 nubes, quæ nescio quo modo splende-
 scant. Metrodorus uero & ipse splē-
 dorem esse dixit spectantium oculorũ
 cum timore & percussione quadam.

Sedenim & hoc tempore hoc luminis
 uel splendoris nautis etiam apparere
 tempestatis deprensas audiuimus in-
 ter procellas, quo cōspecto incipiunt
 nauē bene sperare, idq̄ uel diuo Nico-
 lao, uel diuæ Hermie, uel alij cœlitum
 adscribere consueuere, diuinum id ra-
 ti auxiliantis numinis p̄sagium. Sed
 utcunq̄ hoc, Fulgentius tamen quod
 de Castorum sydere diximus, secus ac
 alij existimare uidetur: nam eos peri-
 culum creare ait, non eruere. Artemi-
 dorus quoq̄ libro ij. Onirocriticōn:
 In somnijs, inquit, Dioscuros (sic em̄
 Castores Græci uocāt) nauigantibus
 hyemes ac tēpestates significare, quæ
 citò tamen in melius mutantur: nam
 σωτήρες, hoc est, seruatores dei sunt. Scri-
 bit & Porphyrius in Horatij carmi-
 ne. Constat autem, inquit, hodie inter
 nautas Castoris & Pollucis stellas ple-
 runq̄ nauibus infestas esse. At uero il-
 lam quam Plinius diram & minacem

Helenam uocat, Statius Papinius illo carmine innuit, cum canit in Thebaidē: Cum iam damnata sororis Igne therapnæi fugerunt carbasa fratres.

Quo loco Lactantius grammaticus Helenam Vraniam uocari ait: cui quidem tanta uis inest incēdij, ut malum & nauis ima pertundat, ut etiam si æs sit eius calore soluat. Ergo si hæc stella nauis infederit, sciunt se nauæ sine dubio perituros. Hactenus Lactantius seu Lutatius, ut uocatur ab aliquibus. Meminit & huius stellæ Solinus his uerbis agēs de muliebri mēstruo. Habet, inquit, planè id salutare solum in se, quod auertit sydus Helenæ perniciosissimum nauigantibus. Nec illud hoc loco de typhone, id est, uortice, ut interpretat Plinius, reticuerim, qui præcipua nauigantium pestis est, non antemnas modo, uerum ipsa nauigia contorquens rapida uertigine frangit, tenue illi remedium, acetū in

aduenientem effusum. Reliqua de typhone Plinius in secūdo, qui etiam typhonis nomine cometæ speciem uocat uisam Æthiopiæ & Ægypto, à regis nomine sic nuncupatam. Sunt qui coralia typhonibus remedio esse prodant. Sed de typhone, hoc est uortice, & alia in Meteoris Aristoteles, & in lib. de mundo ad Alexandrū, si modo is est legitimus Aristotelis liber, ut uideo plerosque dubitare. Typhonum meminit & Gellius cap. primo xix. libri his uerbis: Qui turbines etiam crebriores, & cœlum atrum, & fumigantes globi, & figuræ quædam nubium metuendæ, quas τυφῶνας uocabant, impendere imminereq̃, ac depressurę nauem uidebantur. Meminit & in xvij. Marcellinus. Alia sunt & multo plura quæ de Typhone à Græcis scribuntur. Mythica enim physicis coniungere, multaq̃ de centum capitū Gigante ab Ioue fulminato cum scribant, tum

& subiungunt inter cætera, procello-
 fos quoque uentos typhonas uocant,
 quibus nigrum agnum iugulari præ-
 cipiunt (unde etiã fortè Vergilius: Ni-
 gram hyemi pecudem.) ut is spiritus
 desinat: & hoc in Æschylum referunt.
 Quare cum de typhonib. apud Græ-
 cos tam multa legantur, miror in com-
 mentarijs in Aratum, qui Theoni ad-
 scribuntur, cum de tempestatũ signis
 ageret, mendum pertinax irreplisse,
 cum de typhonib. mentio, & quidem
 locuples fiat, *σιφωνα*s semper legi pro
τυφῶνας. A typhone quidem typhoni-
 cum uentum Lucas in Actis apost.
 dixit, qui uocatur *εὐροκλύδωρ*, quem lati-
 nus interpretes uertit Euroaquilo. Por-
 rò nec illud te lateat uolo, Apollinẽ di-
 uersis cognominibus nũcupatum ex
 re nautica fuisse: nam *ἐμβολισ* dictus
 est ab ingressu, cui Iason cum nauem
 esset cõscensurus rem sacram fecit, ut
 plurib. in primo cecinit Apollonius.

Idem

Idem quod & in littore coleretur, ἄκτιον & ἐπ᾿ ἄκτιον, hoc est, littoralis dictus est. Eidem quoque cum è naui exirent sacrificabant, qua ex re ἐκβασις est cognominatus, ut idem docet Apollonius. Nam cum Argonautè è naui descendissent apud Cium Mysiæ urbē, & Arganthonium montem, ut necessaria navigationi è continenti acciperent, cibaria, oves, uina, ligna &c. ἐκβασιώ Apollini, hoc est, egressori rem sacram fecerunt. Sed & à deorum nominibus, in quorū tutela nauigia essent, plerunq; nuncupabātur, quiq; in illis depicti essent, ut est illud Ouidij:

Est mihi, sitq; precor &c. Item illud, Pictos uerberat unda deos. Quæ res cum notissima sit, non est cur aliorum autoritatibus cōprobem. Nam & quod uarijs picturarū imaginibus pingerentur, clarissimum est, unde & fabulandi multiplex poëtis est occasio præstita, ueluti Europæi tauri, & ut

modo dicebamus, Iſiacæ uaccæ, Dæ-
daleiꝫ uolatus. Et ſi uſu etiam indiēs
id fieri cernimus, plurimorumꝫ auto-
ritate eſt notum, unius tamen Valer.
Flacci ex primo Argonauticōn ſuper
hac re carmina, ne rem penitus omiſiſ-
ſe uideamur, citabimus: is eñ ubi Ar-
go arte Palladia fabricatam ceciniffet,
ita mox de eius pictura ſubiunxit:

*Conſtitit ut longo moles non peruia ponto
Puppis, & ut tenues ſubiere latentia ceræ
Lumina, picturæ uarios ſuperaddit honores:
Hic ſperata ſedens Tyrheni tergore piſcis
Peleos in thalamum uehitur Thetis, æquora Delphin
Corripuit, ſilet hæc deiecta in lumina palla,
Nec Ioue maiorem naſci ſuſpirat Achillem.
Hanc Panope, Dotoꝫ; ſoror, iactataꝫ; fluctu
Proſequitur nudis pariter Galatea lacertis,
Antra petens Siculo reuocat de littore Cyclops.
Contra ignis, uiridiꝫ; torus de fronde, dapesꝫ;
Vinaꝫ; & æquoreos inter cum coniuge diuos
Aecides, pulſatꝫ; chelyn poſt pocula Chiron.
Parte alia Pholoë, multoꝫ; inſanus Iaccho
Rhoetus, & Athracia ſubitæ de uirgine pugnae,
Crateres menſæꝫ; uolant, aræꝫ; deorum,
Poculaꝫ; inſignis ueterum labor, optimus haſta*

Hic Pelcus, hic ense furens agnoscitur Aeson.

Fert grauis inuito uictorem Nestora tergo

Monycus, ardenti peragit clarus Antora quercu,

Nigro Nessus equo fugit, accliuiscq; tapetis

In medijs uacuo condit caput Hippasus auro.

Hæc quanquam miranda uiris stupet Aesone natus.

Atq; hætenus quidem Flaccus. Sed quoniam de pictura nauium egimus, non incongruum quoq; , ut quod ab Herodoto scribitur & Plinio, hic tibi subnotemus. Naues, inquit ille, ueteri instituto solere rubrica depingi, notissimum est. Plinius uero: lam enim, inquit, Troianis temporibus rubrica in honore erat, Homero teste, qui naues ea commendat, hoc est, *μυλτοπυρρίαις*. Idem & in ix. Odyssæ ipsius poëte cōmentatores, idem & Suidas prodiderunt. Certe & oraculum, ut scribit Herodotus, delphicum Siphnios ita elusit, cum eis cauendum cecinit ab agmine è ligno legatoq; rubenti. Quod utique oraculum non antè Siphniam intellexerunt, quàm fusi fugatiq; à Samijs

exulibus fuissent, qui ad eos naue rubricata peruenerunt. Lege tertium hist. Herodoti. Antiquitas insuper excogitauit eam rationem pingendarum classium, ut eis neque sol, neque sal, uentusque noceret. Hanc breuissimè Plin. xxxv. nat. hist. attigit, ita enim scribit: In encaustice pingendi duo fuisse antiquitus genera constat, cæra & ebore, cestro, id est, uiriculo, donec classes pingi cœpere. Hoc tertium accessit resolutis igni cæris penicillo utendi, quæ pictura in nauibus nec sole, nec sale, uentisque corrumpitur, quæ Pliniana uerba exponuntur à Perotto in cõmentarijs Cornucop. & ab Herm. Barbaro in castigationibus: atque idcirco ego ea nuda retuli. Meminit & eiusdem uoluminis alio loco idem Plinius, cum ait, Cerussa cære tinguntur iisdem coloribus, ad eas picturas, quæ inuruntur alieno parietibus genere, sed classibus familiaribus: iam uero & onerarijs nauibus

(quo-

(quoniam & pericula expingimus) ne quis miretur & rogos pingi. Iuuat quoque pugnatos ad mortem, aut certe cædem speciosè uehi, quibus omnibus Annæi Senecæ uerba ex libro de beneficijs septimo, quàm à castigatōribus, melius intelligent. Nam cum Seneca ita scribat: Cui triremes & cæratas non mitterem, lusorias, & cubicularias, & alia ludibria regum in mari lasciuentium mittam? Quo loco doctis. sanè castigator pro cæratas, gratis, reposuit. Quod uero cæra naues pingentur, præter suprà dicta Plinij uerba id palàm testantia, & Pollux innuit in primo. Hoc picturæ genus κροχραφία à Græcis dicitur, ut est apud Callixenum & Athenæum. Et poëtarum quoq; frequens autoritas hoc idem ostēdit, ut cuius modo uersus adscripsi Val. Flacci. Et in tenues subiere latentia cæra lumina, Picturę uarios superaddit honores. Non me fugit

à semitarijs grammaticis exponi sole-
 re cæram pro pice: quod congruè an-
 aliquando possit, nunc non statuo.
 Sed quod pice naues illinātur, notius
 est quàm ut expositione indigeat. Sa-
 nè ab ijs qui Indica perscripsere prodi-
 tum est, naues & quidem onerarias,
 & ingentes ac portentosæ propè ma-
 gnitudinis, ad conuehenda mercimo-
 nia ab Indis construi, quæ non pice,
 sed quodam ab ipsis confecto bitumi-
 ne illinuntur, quod maiorē quàm pix
 firmitatem præstet nauigijs. Illud sic
 conficere accepimus: Canabum minu-
 tissimè terunt, dein calcem atq; oleum
 cuiusdam arboris, quantum sat est, ac-
 cipiunt, miscēt, & eousq; tundunt quo
 ad lentorem uisco similem contrahit,
 atq; ita tum demū eo utuntur, nauesq;
 illinunt. Sed iam de cera & pictura na-
 uū satis, ut puto. Nūci iure illud quoq;
 in re nautica obseruandum, quod ad
 auguria pertinet, quæ ornithogonia
 dicitur,

gilaque
 ab his panis
 vocatur

dicitur, in qua inter alia nautis expeti-
 ta auguria cygni laudantur, ex qua di-
 sciplina Vergilius poëta finxisse credi-
 tur: Aspice bis senos letantes agmi-
 ne cygnos. & que sequuntur reliqua.
 Versus uero ex ipsa ornithogonia hi
 sunt: Cygnus in augurijs nautis gra-
 tissimus ales, Hunc optant semper,
 quia nunquam mergitur undis. Ea-
 dem de anseribus à Græcis traduntur,
 unde & cheniscus nauibus additur, de
 quo suo loco dicemus. Sunt qui tra-
 dant Vergilium cygnos in carmen in-
 duxisse, ut Æneæ augurium facerent,
 quoniã unã cum columbis Veneri di-
 catos putarunt antiqui. Ab augurijs
 certe bonis & secundis, secundam etiã
 Latini nauigationem & prosperam di-
 cere consueuere. At nõ sic Græci, qui
 pe qui δδύτερον πλοῦν, Pausania & Eusta-
 thio testibus, dicant, cum nõ uento a-
 gitur nauis, sed remorũ conatu: atque
 ea causa cũ laboriose aliquid moliunt,

διδύτερον πλοῦν, hoc est, secundā nauigationem prouerbio dicunt. Et è contrario δὲ οὐείας πλοῦν, cum ex uoto & animi sententia res succedunt: & ut illa secunda nauigatio uocatur, ita hec prima dici solet, quæ tamen ab augurali disciplina quidam deducere conati sunt. Sed his missis ad huiuscemodi reliqua pergamus.

Quatenus astrologis in re nautica credendum, & prognosticis, & de nauigationis tempore, & Veneris stella Troianæ nauigationis duce, alijsq̃. Caput x.



Strologi præterea magnā sibi in re nautica, ut alijs omnibus in rebus, partem uendicant, atq̃ ex Saturno in primis, & Orionem, et Arcturo, & Pleiadibus, & hoc dis, & Helena, alijsq̃ signis futuras tempestates prænunciant, quos ut mendaces & falsiloquos uterq̃ Picus conuincere nititur. Nō enim, aiunt, ex Ioue, Saturno, Venere, Marte, Mercurio præuident tempestates, sed de nube, de uen.

de uētis, de omni aëris cōditione : atq; eorū hęc solers disciplina experientis ubiq; cōfirmata. Reliqua quę ab ijs scribuntur hoc loco missa fiūt, teq; ad ipsorum uolumina relego: illius cōtra astrologos, huius de rerum prænotione. At sicut illa damnant, ita quę prognostica uocantur à Gręcis, & à nostris præfagia ac signa, nō impugnari à bonis uidemus, quando ea præcipue ex aëris qualitate, non ex astrorum ortu, uel occasu, traiectū ue fieri appareant. Traduntur uero ea ab Hesiodo, Arato, utriusq; interpretibus, tum à Vergilio, Lucano, Plinio, Varrone, Columella, Constantino, Vegetio, alijsq; scriptorib. tum rei rusticę, tum rei militaris, ut nunc mittā philosophos qui meteora, & naturales astrologos qui ea prodiderūt. Illud certe non prætereundum, stata esse nauigationis tempora, quę tum in temporum & anni, tum in aëris dispositione referunt, quę

uulgares nautæ, & agricolæ etiam norunt; siquidem ea habentur circa autumnale æquinoctium, & uernum, ita ut ab hoc aperiri, ab illo claudi mare dicatur. Placet quæ Hesiodus pluribus uersibus in Ὀῤυσίς scripsit, breuissimè hic afferre. Post solstitium æstiuū, ait; per quinquaginta dies optima nauigatio, quando spirant etesiæ, & uernæ cum ficus folium iam cœperit cornicis pedi par esse. In quibus uerbis Proclus obseruat, per æstatem & æstus medios non satis tutam esse nauigationem, id & experientia ipsa cernimus. Plinius uero inquit, Veraperit nauigantibus maria, quæ hyberno tempore hyemant, & tempestatum sæuitia concluduntur. Sic etiam L. Apuleius, ut antè scripsimus, significat, die scilicet quæ nauigio Isidis sacer est, quando mense Martio mare ipsum aperitur. Existimauit quo loco, uir sanè doctissimus Apulei interpretes, hilaria eo die

die designari, Apulei uerbis hallucinatus. Hæc uero breuissime collegimus, qui sine risu meminisse non possumus, quæ iisdem astronomi confingunt, sub ariete nautas gigni & helcycarios, nauiumque fabricatores, & eiusmodi genus opificum, ac si nulli sub ariete nascantur ijs in regionibus ubi nullus est nauigiorum usus: & si iisdem id afferant, & domos naues esse. Sed hæc ridicula nimis, ut miranda illa quæ Plinius in VI. de Taprobane agens prodit. Syderum, inquit, in nauigando nulla obseruatio. Septentrio non cernitur, sed uolucres secum uehunt emittentes sæpius, meatumque earum terras petentium comitantur. Nec minus mirandum uisum est, quod à M. Varrone lib. rerum diuinarum secundo traditum, nauiganti Æneæ à Troia in Italiam ad agrum usque Laurentum, Veneris stellam semper illuxisse, eoque loco ulterius haud

uifam fuiſſe. Quam rem etiam multis in locis Vergiliū poëtam innuiſſe Seruio grammatico uidetur, quod tamē, ut ego minus credā, multa ſunt in cauſa, atq; illud in primis, ne id minus miraculoſum, quod in Euangelica hiftoria de tribus Magis traditur, uideatur, qui ſtella duce ex orientis partibus ad Chriſtum adorandum profecti ſunt. Legimus tamen & ſimilis ſtellæ ductu diui magni Antoni corpus inuentum, ut in noſtris annalib, continetur.

De nauium membris ac partibus, tum Græcis tum Latinis nominib. Cap. xi.



Ed cum fortè tibi uideri poſſim nō accuratè modo, ſed curioſe etiam de rebus ſcripſiſſe quę circa rem nauticam ſunt, nunc his miſſis ad nauū partes & membra nō minore cura deueniam: quæ ut diuerſa, ita diuerſis ſunt nuncupata uocabulis, in primisq; à græcis ſcriptorib. Omnia uero, ut potero, breuiſſimè colligam,

gam, ne tibi scilicet legendo, & mihi sit scribendo negocium. Quam rem antequam aggrediar, Lucretij poëte uersus adscribam, quos pro re dignos iudicavi ut memoriæ mandarentur. Hi uero in secūdo rerū natura leguntur.

*Sed quasi naufragijs magnis, uentisq; coortis
Disiectare solet magnum mare, transtra, carinas,
Antennas, proram, malos, tonsasq; natantes,
Per terrarum omnes oras fluitantia aplustra:
Ut uideantur, & indicium mortalibus ædant
Infidi maris insidias, uiresq; dolumq;
Ut uitare uelint, ne ullo tempore credant,
Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.*

Et quidem hæc Lucretius: ne græca, quod isti faciūt, plurimā inculcē, quæ Hesiodus in Georgicis, & epigrāmata afferā. Sed nos iam seorsum nauū partes describamus. Prior ergo nauis pars prora græca uoce dicitur, quæ etiā est à Latinis usurpata adeò, ut eorum pleriq; dictam existiment, quod prior sit, putantes uocem esse latinam. Verum & Herodianus & Theon tradūt, pro-

ra nūcupata est, quod reliquam nauis
 partē præcedat, quasi *πρωίρα*. Quidam
πρὸ τὸ πρῶναι; sunt qui dictā existiment
ἐκ τοῦ πρῶρα, hoc est, quod ex ea antè cer
 namus, & per crasin, *πρῶρα*. Qui prore
 præest, *πρωρεὺς* & proreta uocatur. Eius
 uaria apud antiquos forma fuit, nunc
 qualis esse debeat, à principio libri o
 stendimus. Puppis quæ & puppes, na
 uis pars est posterior, *πρύμνη* à Græcis
 dicta, unde *πρῦμνες*, & *πρῦμνῆϊον*
 funis nauticus, ut cōmodius suo loco
 dicetur. Ab his potissimū nauis parti
 bus prouerbiū ductū est, *prora & pup
 pis*, cuius ad Tyronem M. Tullius me
 minit, quoties negocij alicuius summā
 significamus. Græci aliter efferūt, quæ
 à prora & puppe pereunt, hoc est, *τὰ
 ἐκ πρῶρης, καὶ τὰ ἐκ πρύμνης ἀπόλλυται*, quod
 in malum frequentius dicitur. Est ue
 ro honestior in nauis locus puppis, qđ
 ibi sedeat gubernator clauo regens na
 uigiū. Innuit hoc nec semel in episto
 lis

lis Cicero. Sedebamus, inquit, in puppi clauumque tenebamus. Idem ad Cornificium: Quamobrem mihi Quinte conscende nobiscum, & quidem ad puppim. Hinc & Græci mouere puppim usurpant, hoc est, τὴν πρύμνην κινεῖν. Meminit in Basilij monodia Greg. Nazianz. Prouerbiū est in eos qui iter retractant iam coeptum, ex nauigantium, ut ait, similitudine, qui cum se ad iter aliud conuertunt puppim agitant. Sanè & illud obseruandum est, puppim à Græcis interdum ab animalium cauda οὐραῖν appellari, quod cum alij tum Moscopulus annotauit, qui ait & à poëtis οὐραῖον uentum significare qui à puppi nauē impellit, & οὐραῖον cōmuniter uocari: & ὅτι οὐείας πλῆιν, quod est nauigare uento ad puppim flante: & quod paulò antè dicebamus, ὅτι οὐείας πλῆος. Meminere præterea Libanius & Suidas. Eadem sententia Latini secundum uentum, & suū uentum, Cicero, Horatius & Ouidius di-

xere, Prosequitur surgens à puppi
 uentus euntes, Et hodie uulgò uen-
 tum in puppi habere dicimus, cum ad
 uota res succedunt, Porro ab his dua-
 bus nauis partibus nauis appellatur
σίμωρον & *σίμωρον*, ut est apud Calli-
 xenum & Athenęum de Philopatoris
 nauē. Extremum autem illud in quod
 definit prora, ab auiū similitudine ro-
 strum uocatur, unde rostrata nauis, ut
 inferius dicemus, Hinc & rostrata co-
 rona, de qua Gellius lib. v. Naualis co-
 rona est qua donari solet maritimo
 prælio, qui primus in hostium nauem
 uel armatus trāsiliuit, ea quasi nauium ro-
 stris insignita est, Idem paulò post sub-
 dit, quod ex auro fieri solebat, De hac
 eadem apud Pliniū est illa in xvi. ex-
 clamatio, cum de ciuica corona, id est,
 querna ageret, Cedunt, inquit, & ro-
 stratæ, quamuis duobus maxime ad
 hoc æui celebres, M. Varrone è pirati-
 cis bellis, dante magno Pōpeio, itemq̃

M. Agrippa, tribuente Cæsare è Siculis, quæ & ipsa piratica. Fuere antea rostra nauium tribunali præfixa foro decus, erant ueluti pop. Rom. ipsi corona imposita. Postquam uero tribunitijs seditionib. calcari ac pollui coepit, postq; uires ex publico in priuatũ magis, singulisq; ciuium quæri, & sacro sancta omnia profana fecere, tum à pedibus eorum subiere in capita ciuium rostra. Dedit hanc Augustus coronã Agrippæ, sed ciuicã à genere humano accepit ipse. Hęc Pli. qui & lib. xxxiiij. ait notã aëris fuisse, ex altera parte lanũ geminũ, ex altera rostrũ nauis. Carina nauis est pars infima, *κάρπις* à Grecis uocatur, à facili cursu quasi currina dicta. Totius nauis compagem carinam quidam esse opinantur. Cæsar in primo bell. ciuil. Carinæ primũ ac statumina ex leui materia fiebãt, reliquũ corpus nauium uiminibus contextũ corijs in tegebatur. Capitur etiã carina pro in-

fima trabe qua nauis fundatur, ut est illud Ouidij: Dum mea puppis erat ualida fundata carina. Per tralationem etiam putamina nucū bifida, carinas Plin. uocat in xv. Carinari uerbum antiqui dixere pro conuitiari, & calumniari. Carinatū uero inflexum & curuū, & carinatim à similitudine. Carinas quoq; M. Varro & P. Victor urbis Romæ locum esse tradidere, unde & illud Vergilij, Raucis mugire carinis. Tametsi grammatici ædificia interpretentur in modum carinarum structa. Huius loci & historici meminere. Fori spatia sunt in nauibus apertiora, alij latera concaua interpretantur, à ferendo onera dicta. Vergil. Implestemq; foros flammis. Seruius Honoratus nauium tabulata exponit, ab eo quod incessus ferant. Idem tamē alio loco spatia esse ait in nauibus aperta, uelut in gladiatorijs ludis: nam & T. Liuius ait foros appellatos, ubi spectacula

Etacula sibi quisque faceret. Sextus quoque Pōpeius inter multa fororū significata: Fori, inquit, significant & circensia spectacula, ex quibus etiā minores forulos dicimus. Stega navis est proscenium, id est, tabulatum super quod nautæ ambulant. Alij locū navis coniectum, & perinde etiam tuguriū, *πύλα* & *σείω*, *πύλα* est *σειάσω*. Utitur hac uoce apud Latinos in primis Plautus cum alibi, tum in Bacchidibus & Epid. Meminit & Fulgentius ad Chalcidiū, unde & tristega, quam & sic diuus Hieronymus trāstulit in libris Mosis. Agea in nauī dicta est, quod in ea, ut putat Festus, quæque res maxime agi soleat, quo uocabulo usus est Ennius. Multa foro ponent, ageaque longa repletur. Nonnulli eam uia autumant, per quā ad remiges hortator accedit. Transtra sunt tabulæ in quibus remiges sedent, dicta, ut ab aliquib. traditur, quod in transuersum disposita sint. Vergilius:

Confidūt transtris. Vulgò banchi di-
 cuntur à nautis, & trasti. Poëte & iuga
 uocant. Idem Verg. in vi. Inde alias
 animas quæ per iuga longa sedebant,
 idè à Græcis sumptum, qui ζυγά tran-
 stra uocant, ut statim dicemus. Festus
 tabulas nauium transtra appellari pu-
 tat. Porro qd diximus zyga à Græcis
 transtra appellari, ab ijs fiūt zygi remi-
 ges eiusdē transtri, & zygites qui sedet
 in media nauī. Hinc etiam, ut puto, zy-
 godesma, de quib. Pollux: Zygodēs-
 ma, inquit, dicunt, quib. iugū temoni
 cōiungit. Clauusaūt cui zygodēsmon
 inuoluit, hestor uocatur. De hestore
 Homerus in ix. Iliad. meminit, super
 quæ uerba uaria Græci tradunt, quæ
 non sunt nostri instituti. Columbaria
 in summis nauīū lateribus loca conca-
 ua esse grāmatici quidā scribūt, quod
 sint similia columbarū latibulis, in qui-
 bus nidificāt. meminit Festus. Priscia-
 nus uero, columbar, inquit, uinculi ge-
 nus

nus est, idque Plauti uersiculo ex Ruden-
te cōprobat: nam in columbari, inquit
collū haud multò post erit. Idē Festus
in nauali scriba. Plautus, inquit, nō e-
go te noui naualis scriba in columbari
impudens. Siue ait quod in naui colūba-
ria appellabātur in quibus remigent,
siue quod columbariorū quæstus te-
merarius incertusque. Porro Vitruui-
us in x. cum organa ad aquā haurien-
dam describit, columbaria uocat caua
seu foramina, per quæ aqua concepta
in tympano educitur: ita enim scribit,
secundum axem columbaria fiunt ex-
cauata in singulis spatijs. Et paulò post
subdit: Reddit eam, scilicet aquā per
colūbaria secundū axem. Echetlion lo-
cus est in naui, in quo pisces reponūt.
utitur Nicander in Theriacis. Quo lo-
co qui græce scholia scripserunt idem
affirmant: nisi quod & illud addunt,
quod ab aliquibus pro pisciū uiuario,
hoc est, ἰσθμῶς capit. Ego nauiculā esse

puto clausam undiq; & obtectā, multis pertusam foraminibus, qua uiuos pisces cum alibi, tum hic Ferrariæ piscatores seruare cōsueuere, quo modo & apud Nicandrum intelligi potest. Clauus nauis est gubernaculum. Ennius: Vt clauum rectum teneam, nauemq; gubernē. M. Tullius in Fam. Sedebamus in puppi, clauumq; tenebamus, nunc autem uix est in sentina locus. F. Quintilianus uidetur clauū per translationem pro administratione posuisse in secūdo. Gubernator dicet notum illud dum clauū rectū teneam. Sed qualis esse debeat gubernator clauum tenens, legito argutā Senecæ sententiam libro epistolarū xij. Gubernacula etiā gubernata uocata ostendit Nonius, Lucillius lib. xx. satyrarū: Proras despoliate & detondete gubernata. Seruius grāmaticus clauum putat esse fustem gubernaculi, hoc est, lignum oblongum, quo flectit ac reflectit gubernator

nator nauim, anfa appellatur à Vitru-
 uio, ut protinus ostendam. Distinxit
 & Cicero, ut cum pro Sestio ait, clauū
 tantī imperij tenere, & gubernacula
 reipub. tractare. Existimauit Possido-
 nius gubernaculum inuentum esse ex
 emplo à piscibus sumpto, qui cauda re-
 guntur, & leui eius in utrūq; momen-
 to uelocitatē suam flectunt. Idem scri-
 bit & Seneca. Clauus uero græce uoca-
 tur οἶαξ & οἰήιον, totum uero gubernacu-
 lum πηδάλιον; antiquiores autem Græ-
 ci ἐφέλιον uocabant. Transiuit quidem
 in prouerbiū πηδάλιον, de puris mi-
 nusq; sordidis rebus, ἀγνότερον πηδαλίου,
 hoc est gubernaculo castior. Meminit
 Suidas, qui ait ipsum semper in aqua
 esse, proptereaq; minus sordidū. Am-
 monius aliq; inter Græcos nonnulli
 differre tradūt πηδάλιον à πληθρίω, quod
 pedalion nauium, plethrion uero ra-
 tium: quidā & forma diminutiua πλη-
 θέριον uocāt. Sed quod de οἶαξ dicimus,

Vitruuius ansam transtulit, ita enim scribit: Quemadmodum etiam naues onerariæ gubernator ansam gubernaculi tenens, qui ὀραξ à Græcis appellat̃. Thomas magistri ὀραξ, inquit, non modo ansam significare, sed & totum gubernaculū. Porro hæ gubernaculi partes dicuntur, media φθῖρ ἢ ῥίζα, id est, pediculus uel radix, & ὑπόζωμα uocat̃: extremitas πρὸς ὑγιον, tu alam dicas: reliquum αὐχλὴ, id est, ceruix. Locus ubi gubernator reclinatur, enclīma dicitur. Sentina pars est inferior nauis, ubi sordes defluunt, atq; ideo quod ibi teter odor sentiatur, sunt qui dictā arbitrentur. Val. tamen Maximus lib. ij. cap. de discipl. militari, pro ipsis sordibus accepisse uidetur, cum ait, Hac turpi & erubescenda sentina uacuefactus exercitus noster. Per translationem enim & pro consortio malorum sumitur. Cic. pro leg. agr. hoc enim uerbo est usus, quasi de aliqua sentina, ac nō de opti-

de optimorū ciuium genere loqueretur. Idem in Catil. Siquidem hanc sentinam huius urbis eiecerit. Frequens est & pulchra dicendi figura: unde & sentinare uerbū, quod fatagere, & periculū uitare significat, ut est apud Festum. Cumbam quidam nuncupant, sed certe nauis locum denotat inum, quod scilicet aquis incūbāt, quo fit ut opiner nūc uulgo à nautis columbam uocari. Quidam tamen dryochon, de quo innox statim. Modium præterea in nauis appellant, cui malus insistit, uerū hæc nostris parum approbata. Hanc partem quæ continet malū, Græci tum histodocen, tum histothecen uocant, quod scilicet *ισὸν* contineat. Hanc partem *μεσὸδμη* uocasse uidetur in primo Argonaut. Apollonius. *ισοδόκη* tamen ab *ισοπέδῃ* differre ait Ammonius. Histodoce quidem ubi malus inclinatur. Homerus: *ἰσὸν δ' ἰσοδόκη πέλασσευ.* Histopede uero locus cauus in medio naui

uigij. Nōnulli quoq; ληνίδα uocant. Iō
cum ubi malus imponit̃. Vnde & Ar
temidorus libro primo ὀνειροκευτικῶν ἰσο-
κράσιαν, pro antenna ponere uidetur,
quod & alibi. Nauiū utiq; partes Gre
ci diligentius tractant q̃ Latini, quan
do & minimis ij quibusque particulis
sua indidere uocabula, quorum pluri
ma hic ego tibi à prædictis subiūgam.
δρυόχῳ igitur & ῥόπισ, & ῥοπίδιον, & σείρα,
carina à Græcis uocatur: & dryochus
quidem lignum est, in quo nauis cari
na configitur. Apollonius in primo:

Pallas cum primū dryochos immit
teret Argūs. Quod uero carinae est
affixum, phalcis, inde lesbion, & chal
cenes, & ditopodion. Id uero quod ca
rinam terminat in proram, προέμβολις, et
το προέμβολον nuncupatur, quod subtus
est embolon: unde & nauis quæpiam
uelocissima ἔμβολος uocata est, cuius
Græcis frequens mentio, & nisi perpe
ram legatur illud in primo codicis Iu-

stiniani de sacros. eccles. quod etiam re-
 petitum est in xi. eiusdem. Iubemus
 nullam nauem ultra duorum milium
 modiorū capacem ante felicem embo-
 lum, uel publicarū specierū &c. Hinc
 & *τριμβολον* apud Suidam instrumentū
 nauticū, quod scilicet facile iaci queat.
 Est & nauis species quæ sæpe impella-
 tur, dicta *τριμβολος*, quod hæc particula
*τε*is, pro augmento & magnitudine ca-
 piatur, non Græcis modo & Latinis,
 sed & uulgò Gallis. Vnde etiam triem-
 bolum pro uirili membro aliquando
 capitur, eadem ratione, quod in coitu
 frequētius impellatur iniiciaturq̃. Ab
 embolo quoq̃ Nestoris nauis decem-
 bolon dicta est, ut est apud Æschylū.
 Sed & emboli alia significata colligit
 Hermolaus. Quod igitur medio pro-
 embolidis & emboli est, stera proprie
 dicitur. Sub embolo est delphis, cum
 nauis est delphinophoros: sed quid sit
 delphis, mox significabimus. Id quod

est inter embolon & proembolida, stolos uocatur & pericephalæa, tametsi *σολος* etiã tam classem quàm nauis com meatũ cursumq; significat. Idiostolon tamen nauigiũ Athenæus uocat, quod sibi quis cõducit, lib. xij. Sequitur que ptychis & ophthalmus appellatur Poluci. Didymus uero *πυχη* esse ait, ubi oculi pinguntur, & nauis nomen inscribitur, quod & in cõmentarijs in Apollonium legitur. Acrostolion Theophilus uocat lignũ, quod esse ait erectum, modo in prora, modo in puppe, in quo nomen ipsum nauis sit inscriptũ: tametsi quidam pro nauis extremitatẽ interpretati sunt. Et fori summitatẽ quidam rostra non cõmodè satis interpretantur. Sunt qui *ἄκρωτήρια*, & *ἄκροσάμιθ*, & *ἄκροπόρυμβα* idem esse affirmant, ut in corymbis latius ostẽdemus. Scribit enim Theophilus *ἑπωπίδες* ligna esse, quæ tanquam auriculæ quedam utrinq; nectantur in prora. Appianus de bello

bello ciuili: Mox, inquit, naues ipsæ in
 ter se concurrere: hæc quidem in obli-
 qua, illæ ad epotidas, aliæ in embolos.
 Idem & illum impetens ad epotida na-
 uem conquassauit. Maschala etiam ab
 Hesychio proræ pars uocatur, quæ ter
 thron (funis nautici hoc genus, ut o-
 stendemus) cõtinet, siue artemonem.
 Alij maschalam machinã esse tradunt,
 qua sarcinæ deponuntur in naues, uel
 eximuntur. Alij alia, quorũ nõnulla à
 Suida referuntur in prouerbio Mascha-
 lam tollis, quæ ad nauigia non faciunt.
 Phalcidis autẽ quod utrinq; interius
 est, epholcis & rhinoteria uocatur: un-
 de & holcas nauis nuncupat, quæ post
 se paruulã trahat nauem. Quidam o-
 nerariam interpretant, ut suo loco pa-
 lam faciemus. Dicitur & nauicula ipsa
 epholcis & epholcion. Sciẽdum tamẽ
 ἐφόλκειον significare temonẽ. Illud cer-
 te quod est annexũ ne carina teratur,
 chelysma dici uidemus. Nauis pau-

mentum cytos & amphimetrion, aliqui gastron uocāt. Sed qui diligentius rem scrutati sunt, id quod est in nauī concauū scapham dixere, & uulgò gastran, quasi nauis uenter, id quod Suidas obseruauit. Est & thalamus, unde & thalami, et thalamaces remiges. Thalamian uocare uidetur Herodotus foramen per quod remus extat, hinc & Thalamegus nauis, de qua alibi. Alij foramen qđ modo dixi nauphracton uocant. Est item thranos sedile, unde & thranitæ, qua dictione Græci autores utuntur, & in primis Thucydides. ἐδωλία quoq; esse ait Theophilus remigantium sedilia. Gellius edolia foros transtulit, cum Arionis fabulã ex Herodoto recitat. Dicitur uero ἐδωλιον πρὸς τὸ ἐζω ἐζωλιον, & dorice ἐδωλιον: & ἐδωλίσαα dixit Lycurgus, pro eo quod est confidere. Σέλματα quoq; nauis sedilia significant, unde est nauis eufelmos apud Homerum, quæ firma habeat sedilia.

Selma em̄ ad nauis latera sedes, quod *ζυγὸς* & *σελῖς* etiam uocant̄. Sunt qui *σελμῖ* *λας* funes interpretentur, & inde euselmos nauis: sunt qui tabulas. Sūt item qui *σελιδῶματα*, ut apud Apolloniū grāmatici obseruant, omne latum lignū, quod & selma uocatur, unde & *σελίδες* dictæ tabellæ seu paginæ, & librorum margines. Sed nūc selma pro nauis sedili capimus, quo modo & Apollonius alijq̄. Scalmus est in nauī qua parte remi effundūtur, uel lignū ad quod remi alligantur: inde & nauis dicit̄ decascalmus, & hyposcalmus, ubi scalmus fulcitur, & triscalinus. Scalmus uero à nautico uulgo nūc furcula uocant̄. Vitruuius in primo interscalmiū interuallum scalmorū dixit. Est deinde episcalmis quod sub scalmo est. Scribit Græcus Hesiodi interpretes Byzantios & Chalcedonios propter nauigij scalmom decertasse nauali pugna apud Bosphorum. *Ἰαφὴξ* uero significat nauis la-

brum in quo pedes ponimus, tametsi etiã tabulam qua panes in cibanū deferũtur. Sunt & partes nauis *ῥήματα* & *ὑπκρέσιον*: hoc remis subiacet, per illa uero, id est, per tremata, hoc est, foramina, extolluntur. Hyperesion etiam interdum remũ designat. Via autẽ quæ est circum remigantes, parodos & parathranos uocari solet: quidam nauis aditũ latine transtulere. *τὸ ἔγκωπον* pars nauis qua remi sunt dispositi, à nōnnullis traditur. Nauis latus quam & spondam & costã nostri, Græci *πλευρὰν* nuncupant. Item dextrum & sinistrum parietem, hoc est, *ῥῆχον*. Quidam felida sel lam esse opinati sunt, quæ in proris nauium erigi solet, unde & apud Zenobium est prouerbiũ, Periculũ in pro-ra felis: hoc est, *κίνδυνος ἐν πρῶρα σελῆς*. de re admodũ periculosa. Est & inter nauis membra *κλις*, quam quidam sedile interpretati sunt, quidam transtrum, Apolloniũ interpretes in iiij. Argonauti.
cōn

côn ζυγά, hoc est, iuga in quibus remiges sedent. Sunt & proræ utrinque partes quasi genæ, hoc est, *παρειά* & *πρόρα*. Que uero circa puppim eminet ligna, peritonæa uocantur. Illic & tabernaculum, hoc est, scena, id scilicet pro duce & trierarcho affixum est. Sedenim & *ἀσπίδεια* partes significāt quæ ad nauis puppim tendunt; medium quidem eius *ἀσάνδιον*, cuius quod intus est *γυθέμιον* uocitatur, inde *ἐπισείον*. Summitates autem puppis *ἀφλαστα* dicuntur, quorum Homerus & Apollonius uariè meminere. Prymnesia uero à Theophilo interpretatur, quod idem legi in cōmentarijs Phauorini. Sed de aphlastis ex Didymo Pausanias plura, & cōmentatores in primo Apollonij. quorum utriusque non eadem esse cum acrostolijs, multis argumentis ostendunt. Lignū rectum in aphlastis connexum, *σηλίδεα* Græci uocant, cuius quod in medio suspensum est cingulum, *τανια*. At uero

peritonæum, quod superius continet utraq; latera uel parietes. Loca ubi remi afferuantur, κοπωτήρια uocantur, Latini cafteriam, ut dicturi fumus in capite statim quod sequitur. Dein parexeresia, quæ pars est inter puppim & remiges. Parexeresiæ fit in iiii. à Thucydide mentio, quo loco in hunc propè modum scholiastes : παρεξερσία est, inquit, locus qui est extra nauis remigium, iuxta quam partem non est remorum usus : hæc autē est pars sublimior puppis & proræ. Tum & in naui est antlon, unde & hyperantlon nauigiū, quasi dicas quod superhauriatur. Sūt qui sentinam nauis ἀντλον nuncupent, & ἀντλία uas ipsum ad aquas è nauib. exhauriendas, uulgò sesholam nauitæ nostrates appellant. Martialis. Curua laboratas antlia tollit aquas. Que uero fenestella aperitur ad aquarū fluxum, ἕρσια uocatur. Æreum autē nauis rostrum chalcembolus uocatur. Dicitur

citur & neutro genere chalcembolon
 nauigij genus. Vergilius chalcembo-
 lon innuit cum cecinit: Fremit icti-
 bus erea puppis. Idem: Quot prius
 æratę steterant ad littora proræ. Por-
 rò pars illa nauis in qua insigne cõsue-
 uit apponi, id quod fermè in prora fit,
 licet & nonnunquã in puppi, *παράσιμον*
 Græci uocauerere, ut in Actis apost. Lu-
 cas ostendit, qui de nauis Alexandrina,
 qua Paulus Romã profectus est. In na-
 uis, inquit, Alexãdrina que in insula hy-
 emauerat, cui erat insigne Castorum:
 hoc est, *γὶ πλοῖω ἀλεξανδρῖνῳ παράσιμῳ διοσκου-
 ροῖς*. Vtitur & Plutarchus, *αλιζῶ*. Le-
 gimus & protomas in summis nauium
 rostris, confictas animalium species uo-
 cari. Sed & arietis bellici prior pars *προ-
 τὸμι* dicitur. Est uero protome, ut pau-
 cis absoluã, id in animalibus, quod in
 homine est prosopos, id est, os. Et hæc
 de nauium partibus satis, si non supra
 modum. Sed nihil uetat, & me religio

sum esse in ijs precipue in quib. & Greg
cos supersticiosos fuisse uidemus.

Quæ nauium sint instrumenta arma-
mentæue. Cap. XII.



Vm de nauium membris par
tibusq̄, quæ cognitiōe digna
uifa sunt adscripserim, nunc
nō incongruū uidetur, armamenta &
cætera instrumenta, hoc est, quæ tum
σκβυη̄ & κατασκβυη̄, tum ὄπλα à grecis uo
cantur, unde & naues σκβυοφόροι, καὶ ὄπλι
ταγωγοὶ dictæ sunt. In præsentia seposi
tis remis, funibus, uelis, cæterisq̄ orna
mentis, in alijs locis, in quibus de ijs si
gillatim agemus. Instrumentū autem
ut Calsij fuit sententia, quod & Vlpia
nus lib. xxxiij. 1^a scribit, id est quod
ad tutelã rei pertinet, & ut Pomp. lib.
viij. epistolarum placuit, instrumentū
cuiusq̄ rei necesse est alterius generis
esse, atq̄ ea quæq̄ sit, quod & Iabole
nus affirmat. quo argumento probat
scapham nauis non esse instrumentū.

Hæc

Hæc uero non adeò religioſe, ut ab iu-
 riſperitis, à nobis tractabuntur, qui de
 instrumentis illud in uniuerſum prius
 præcipiendum monemus, ut ea omnia
 in ſuis nauium receptaculis diſpoſitio-
 ne quadã & certo ordine cuſtodiantur,
 quo facilius, ut ueriſſimè Columella
 ſcribit, cū quid expoſtulabit uſus, præ-
 ſtò ſit. Nam ubi tempeſtas aliã uene-
 ceſſitas imminet, & ita fuerit ritè diſpo-
 ſitum nauigium, ſuoq; ordine quodq;
 locatum armamentũ, tum ſine mora
 etiam & trepidatione miniſtri depro-
 munt, quod eſt à gubernatore poſtu-
 latum; eademq; ſimul ratione & maris
 & hoſtium pericula facilius uitantur.
 Sed iam nos ipſa conſcribamus, ma-
 lumq; ipſum in primis, qui erectus ue-
 lut arbor quædam uela ſuſtinet, ſic di-
 ctus; ut putatur, quod inſtar mali ha-
 bet in ſummitate, uel quod quaſi qui-
 buſdam malis ligneis cingitur, quorũ
 uolubili agitatione uela facilius uel pan-

duntur uel demittuntur. Nauium, inquit, Plinius, malis antēnisq; propter leuitatem præfertur abies. quod & ante illum Theophrastus annotauerat libro de planta. hist. v. Malus græcè *isòs* uocatur. Scribit Artemidorus in somnis malum uidere, dominū nauis uel familiae significare. Mali uero partes Eratosthenes in architectonico has esse ait: Pterne, thoraciū, elacate, carche-
 sion; antēna, icrion, quod mali esse partem, alij antemnā sic appellatam prodiderunt. Dicuntur & icria sanidomata nauiū, id est, ligna oblonga: nam & lignū erectū icrion est, quale alicubi in sepulturis mos est erigi. id quod & in theatris fieri solitū Græci annotauere scriptores. Lenas, ait Pollux, est quod malū suscipit, *ληνόν*, hoc est, lacū uocat Asclepiades Myrleanus apud Athenæū. At quod ei annexū est, pternam Pollux, quā partē Vitruuius in x. mali calcē uocat; etsi, ut puto, paternā quīdam,

dam, alioqui docti, ueli inferiorē partem uocitant, decepti, ut reor, Macro-
bij codice lib. Sat. 5. parū castigati, quę
ea ratione hic adscripsimus hæc sunt:
Myrleanus, inquit, Asclepiades uir in-
ter Gręcos apprime doctus ac diligēs,
carchesia à nauali re existimat dicta.
Ait enim naualis mali partem inferio-
rem pternam uocari, at circa mediā fe-
rē partem *ῥάχιλον* dici: summā uero par-
tem carchesium nominari, & inde dif-
fundi in utrunque ueli latus ea quę
cornua uocantur. Extremum autem
mali ante antennā elacate est, quam
Eratosthenes summam mali partem
esse prodidit. Et apud Athenęum As-
clepiades thoracion, quod quadrila-
terum sit. Extrema igitur mali pars car-
chesion est. Cinna poëta: Lucida
cum fulgent alti carchesia mali.
quod carmen Non. Marcellus Catul-
lo Veroneñ. adscribit, nisi quod splen-
dent loco, fulgent legit, Lucillius:

Tertiushic mali superat carchesia summa. Nescio an perperam carceria à nōnullis etiam antiquis dicuntur, qui illud Cinnē ita legunt: Lucida cum fulgent alti carceria mali. De carchesio uase nihil hoc loco dicimus. Ponuntur & in mali summitate corbes, unde corbitæ naues, ut Festus scribit, quæ uulgò caueæ uocantur. Pars quæ sub antemna est atractos græce dicitur. Scribit Iulius Pollux in x. quod orthiax id nuncupatur, quod est in mali parte inferiori, ueluti quod in superiori est carchesion. Meminit uero ὀρθιακῶ Epi-
 charmus in fabula Nauages. Consue-
 uere quoque antiqui in summis nauium
 malis galeæ nescio quid simile addere,
 unde quidam uulgò hodie galeas tri-
 remes uocari arbitrati sunt. Sed ab ea
 utiq; galea, quæ græcè κωνή dicitur, pro-
 uerbiū deductū est, Aut nauigiū, aut
 galea, hoc est, ἢ πλοῖον, ἢ κωνή, quod de re
 dubia dici cōsueuit. Meminit eius Ari-
 stophanes

stophanes. Sūt qui existimāt Ouidiū hoc galeę nomen innuisse eo carmine: Est mihi, sitq̃ precor flauę tutela Mineruę Nauis, & à picta casside nomē habet. Sanē qđ scripsimus in summo malo solitos antiquos insigne aliquod addere, id quidē innuit qđ de corbe Festus ait, nosq̃ paulò antē meminimus. Et certe Peloponenses petasum Mercurij præferebant; nam *πέτασον κυνήν ἀκκωὸς*, id est, à cane uocabant, quod hoc genus galeri primū ē pellibus canum fieri consueuerat. Quę igitur bello paratę erant naues, galeam insigne habebant; quę uero ad celeritatem, Mercurij petasum ut caduceū pacificatorię.

Antenna est quę uelū sustinet, quasi transuersa pertica, dicta quod sit ante annem porrecta. Alij ab am, & tendo, hoc est, circumtendo; quidam & gemino nn scribunt, cuius quę media sunt, ambola & symbola uocantur. Vtrinq̃ uero extremitates *ἀγκυρῶνα*, quę

& à nostris cornua nuncupata sunt. Tertullianus quidem tertio libro aduersus Marcionem: Nam in antenna inquit, quæ crucis pars est, extremitates cornua uocantur. Et poëta ait, Cornua uelatarum obuertimus antennarum. Sed & Græci ipsi eadem ratione *κορυφαίων* antennã uocauere. Sunt & qui *ἰκελον*, ut supra ostendimus. Vocantur & ceruchi, qđ scilicet cornua habeant, quorum Lucanus & Valerius Flaccus meminerunt. Sunt & qui in Apulei xi. libro parum scitè ita legant: Puppis intorta cerucho, cum antea rectè legeret, puppis intorta chenisco, quã ut futilem & illiteratam lectionem obelo fodiendam autumarunt uiri alioqui bene de re literaria meriti, tanto minus ut futiles ipsos ego uocem, qui tam asseueranter dictionem Græcis scriptoribus frequentè tollendam censuerint. Grammatici igitur Græci, cheniscũ scribũt lignum esse in puppi
 scu

seu prora, ex quo anchoræ suspendan-
 tur. Sedenim hoc loco placet, quod ex
 antiquis scriptoribus collegit Phauri-
 nus afferre. Cheniscus, inquit, pars est
 cui appenduntur anchoræ, quæ & ca-
 rinæ navis est principium. Sunt & qui
 puppis potius principium dicant, ad
 quam epotides navis connectuntur.
 Sed utcunque sit, cheniscus dictus est,
 quoniam navium artifices eam partem
 in anserini capitis formam effingunt, po-
 nuntque in summo navis, forte quod vel
 navigium in eius speciem & similitudi-
 nem formant, vel potius boni augurii
 causa, tanquam immeribilis navis sit,
 ut avis illa quæ fluctus enatet. Hæc fer-
 me ille, quæ eo pluribus tibi recensui,
 quo est hætenus res nostris parum
 comperta. Chenisci meminuit Artemi-
 dorus libro ij. *ὄνειροκετικῶν*, ubi cheni-
 scon ait in somnis significare navis gu-
 bernatorem. Meminit item Lucianus in
 dialogo cui titulus *πλοῖον ἢ δουλαι*. Ut autem

inquit, puppis sensim confurgit aureo
 inflexa chenisco. Idem Lucianus in fi-
 ne ueræ historiæ, ut tota est ridicula
 narratio, ita serio de chenisco nauisme-
 minit. Cheniscus enim, inquit, qui ad
 puppim erat subito p̄natus apparuit,
 & exclamauit &c. Vt mirum sit Celiũ
 Rhodiginum uirum multæ lectionis,
 planè hoc & ipsum ignorasse, ut qui na-
 uem esse cheniscum putarit, nō nauis
 partem. Verum ut ad propositum re-
 deam, cornua interdum à poëtis per si-
 militudinem brachia uocantur, ut in
 illo Val. Flacci, Pallada uelifero que-
 rentem brachia malo. Trochleæ sunt
 quæ quasi \odot literæ, hoc est, Thetæ for-
 ma confectæ uident̄: dictas putant nō
 nulli quod trochis, id est, rotulis circũ
 uoluunt̄. Fiūt uero in primis ex ligno,
 sed & interdũ ex ferro & ære. Lucill.
 Multaq; per trochleas & tympana pō-
 dere magno Commouet, atque leui
 sustollit maxima nisu. De trochleis
 longe

longè plura Vitruuius & Isidorus. Dicuntur & trochilia. Est & trochleæ genus artemon, de quo mox agemus.

Anchora dens est ferreus ad sistendas naues. Quidam ineptè dictam autumant quasi *χειρὸς*, hoc est, manus, cū integrū sit uocabulum, per antistichon ab incuruitate dictū, quasi *ἀγκύλη*, quā ob rem iure caret aspiratione, nostri licet ex usu ei addere consueuerint, ut Seruius notat. Anchorā, ut inquit Athenæus, Sophocles ischada uocauit, quod scilicet naues contineat, *διὰ τὸ κατέχει τὴν ναῦν*. Inter anchoras, inquit Pollux, una est quæ sacra anchora dicitur, quam non nisi coacti nautæ expediunt necessitatis causa. Sunt qui eius quoque uocabulo, hoc est *ἰσρά*, extremū nauis subsidiū dictū existimēt. Transiit & in frequens apud Græcos pro uerbum, cum ad ultima remedia confugimus, quomodo sæpe usus Lucianus alijsque, inter quos Euripides. Ego

quoque in parodia in amici Turcij Alphonsi funere ita flēs cecini: Tu tot fluctibus, una affueras meis Anchora, tu sacra mihi anchora, Et spes unica, tu sidere naufrage Illuxti gemino rati. Ridiculum mihi uisum est quod aliqui scripserunt, sacram appellatā anchoram, quoniam nauetę qui in periculo fuissent eam Neptuno sacrabāt. Capitur etiam anchora nōnunquā pro firmamento, ut si dicamus, anchora domus seu familię. Ea figura usi sunt Sophocles & Euripides, Aristidesque rhetor, alijque. Sunt etiam qui duas uel tres anchoras pari figura dicāt, ut si dicas, duab. nixus anchoris. quo modo Pindarus canit, bonas esse anchoras duas hyemis nocturnę tempore. Sedenim in sacris Aegyptiorum literis anchora pro cunctatione sumitur. At uero in somnijs, quod opportunū est & securum, earum rerū que necessariae sunt, significat, teste Artemidoro: peregrinari

nari eĩm prohibet, quod semper in na-
 uium detentione ponitur. Anchoram
 quidam à Tyrrhenis inuentam ferũt,
 at bidentẽ eam ab Eupalmo, alij à Mi-
 da, quam ad sua usq; tempora in Iouis
 delubro pependisse prodit Pausanias,
 unde & nomen urbi Ancyra, aliter li-
 cet sentiat Stephan. in lib. de urbibus,
 quo loco aliam recitat historiam ex A-
 pollonio in Caricorũ xvij, qui & ipse
 ab anchora Ancyram urbem denomi-
 nat. Vt etiã Ancyron Ægypti, quod
 ex proximis lapicidinis marmora ad
 anchoras exciderent, ut in Ægyptiacis
 est ab Alexandro proditum. Amphi-
 bolon anchoram, hoc est, bicipitem,
 Tarræus *διπλῆν*, hoc est, duplicem uo-
 cat. Inuentã ab Anacharsi Scytha phi-
 losopho, scribit Ephorus, repetit Stra-
 bo in vij. Rideĩt tamen Ephorus à Lu-
 cillio Tarreo in primo Apollonij Rho-
 dij, quoniam, inquit, Anacharsi anti-
 quiores argonautẽ, qui ea anchora usi

dicuntur, *ἄγκυρας* quidem anchoras uocat Apollon, in primo. Diuersas quoque anchorarū species legimus. Alia enim *ἀμφιβόλον* est, id est, biceps: alia *ἀμφισόμον*, alia *ἑτερόσομον*. est & quæ ancyrabolion nuncupatur. Anchorā Marcellus putauit uinculū esse quo antennæ tenentur, quo loco Lucillij uersus affert, qui sunt: Armamenta tamen, uela omnia seruo, Funis enim precipitatus citò atq; anchora soluta. Quo loco anchora quū media intenta efferatur, diligentius inquirēdi occasionem prestat: & propterea rectius apud Nonium, nō anchoram, sed anquinā, uel ancilam reponerē, de quibus inter funes agemus. Ab anchora anchorale deducitur, quod aliquando funem significare uidetur quo anchora religatur. Liuius: Alij resoluūt oras, aut anchorā uellunt: alij, ut ne quid teneat, anchoralia incidunt. Ammianus Marcellinus: Per anchoralia quadrupedo gradu

gradu incedunt, lib. xiiiij. Apuleius tamen in ultimo, adiectiui forma usus est: strophia enim anchoralia appellat. Plinius uero in xvi. anchorale ponere uidetur pro eo ligno ad quod anchora religatur: ita enim de subere loquens ait: Usus eius in anchoralibus, maxime nauium. Tonsilla palus est dolatus in acumem, & cuspide præacutus, qui, ut Festus scribit, nauis religandæ causa in littore figitur, & quæ idem Festus alibi prynnesium uocat, tametsi id parum emendatè in exemplaribus, ut planè docebimus inter funes & rudentes. Tonsillam uero Isidorus uncum ferreum, uel lignum ait significari, ad quem in littore defixum nauium funes illiguntur. Ennius: Tonsillas rapiunt, configunt littus aduncas. Accius: Tacete, & tonsillas in littore edite. Tonsillæ deduci existimantur à tonsis. Sex, tamen Pompeius, Toles, inquit, tumor est in faucibus, quæ per diminu

tionem tonfillæ dicunt. Sunt & in hoc genere nauticorum palorū, qui à Græcis λογαριασμοὶ dicuntur, ex lapidibus quibus nauium retinacula religant. Hæc & λογασία dicuntur, si Phauorino credimus. Porticulus, uel ut rectius legitur in castigatis Festi & Nonij codicibus, portisculus, ut scribit Aelius Stilo, dicitur qui in portu modum dat classi: id autē est malleus, cuius meminit Cato in dissuasiōe de lege Attali & uectigalibus Asiæ, C. Lucio prætore remiges scripti ciues Ro. sub portisculum sub flagrum cōscripti uenire passim. Meminit & Plautus cum ait: Ad loquendum atq; ad tacendū tute habes portisculum. Meminere & alij nōnulli inter grāmaticos. Portisculus ab aliquibus dicitur & nunc perticam significare, nunc remigantiū hortatorem. Ennius in annalibus: Portisculus cum signum dare cœpisset. Sed de hortatore suo loco agemus, id est, celeuste. Celius

lius Firmianus Lactantius Placidus
 super ea comparatione Statij lib. vi.
 Sic ubi longa uagos lassarunt æquora
 nautas, Et signo de puppe dato po-
 suere parumper Brachia, uix requies;
 iam uox ciet altera remos De puppe
 inquit à gubernatore. Nã pertica est
 quædam in nauì quam hortator remi-
 gum tenet, quam si incusserit, remiges
 non desinunt: si deposuerit, conquie-
 scunt à labore. Hanc casteriam Plautus
 nominat in *Asin.* Quin pol si deposui
 remũ sola ego in casteria. Non, tamen
 Marcell. casteriã locum esse inquit, u-
 bi cũ nauigatio cõquiescit, remi & gu-
 bernacula reponuntur: & citat eundem
 locum Plauti. Sepe putauì apud Isido-
 rum carceriam legi pro casteria, cuius
 paulò antè meminimus. Fiebant in
 nauibus tectis, quas Græci cataphra-
 ctas uocant, pyrguchi, qui turriculas
 duas paruas sustinebant hinc & inde,
 turriculæ uero pyrgidia dicebantur:

quod earum medium fuerat, catastro
 ma nuncupabatur, cuius in sequenti-
 bus meminerimus. Liuius de turrib.
 in apparatu bellico nauali Syracusarū
 ita meminit: Naues iuncte, inquit, alię
 binę ad quinqueremes, demptis inte-
 rioribus remis, ut latus lateri applica-
 retur, cum exteriori ordine remorum
 uelut naues agerentur, turres cōtabu-
 latis, machinamentaq; alia quatiendis
 muris portabant. Ligna autem super
 quę assiculę, quę fanides dicunt, mo-
 uentur, à Græcis κανόνια καὶ σταβίδες. uo-
 citantur. Ad hæc & puluini machinę
 sunt quib. naues, ut ait Isidorus, in por-
 tum deducuntur, uel subducunt; un-
 de puluinarium à Plauto in Cas. Vt
 subducā nauim in puluinariū, etsi ab
 arena quidā existimāt puluino. At ue-
 ro phalāges fustes sunt, per quos nauī
 bus subditos, in aquā naues uel impel-
 luntur uel subtrahuntur. Palangas No-
 nius sine afflatu potius scribere uidet,
 unde

unde sint palangarij uocitati. Sunt & ergatae machinae tractoriae, quas uulgares artifices arganos uocant, quae machinarum genera in x. à Vitruuio describuntur, qui & haec subdit: Harum, inquit, machinationum omnium quae supra sunt scriptae rationes, non modo ad has res, sed ad onerandas & exonerandas naues sunt paratae, aliae erectae, aliae planae in carchesijs uersatilibus collocatae. Non minus sine tignorum erectionibus, in plano etiam, eadem ratione, & temperatis funibus, & trochleis, subductiones nauium efficiunt. Pons nauis is uocatur, quo ueluti scalis uel in nauium ascendimus uel descendimus. Vergilius: Interea Aeneas socios de puppibus altis Pontibus exponit. *Ἀπόβαθρα* Graeci scalis interpretatur per quas è nauì descendimus, utitur in iij. Thucydides, quo in loco scholia, *ἀποβάθρα*, aiunt, uocantur *ἢ ἀπὸ τῶν νεῶν ἐπὶ τὴν γῆν ἐξοδηθῆναι*, id est, in terram è nauì exitus, *διὰ βάθρα* etiam

uocatur teste Polluce. Apobathra quidem & alia plura significat, quæ huius nō sunt instituti. Sunt & in naui qui cycli uel circli, ut Pollux ait, dicuntur: nam trici potius poëticū est, quàm uel historicum uel oratorium, per quos funes diuiduntur. Sunt & hermata ligna quæ nauibus subiiciuntur, ne dum subductæ sunt, humi marcescant. Unde & hermatifinene nauis, id est, ἡρματισμένη ναῦς, & ἀνδροματισθ. Cadus quoque uas nauticū teste Polluce, qui quod ad alia munera aptus est, reliqua in uasis contulimus. Sunt & antlia, ad exhauriendam sentinam instrumenta idonea, tametsi sentinam quoque significet, ut antè iam meminimus. Est & ferrum nauis quod rhomboides uocatur à forma, quæ uox, teste Suida, & alia significat. Delphis etiam nauticū est instrumentum, cuius meminit & Aristophanes, uariè tamen à grammaticis exponitur. Quidam ex ferro, alij ex plum

ex plumbo existimant ad delphinis imaginem. Meminit & Pherecrates. Thucydides ideo delphinophoron nauem appellat, quidam & κερκήτην uocatum autumant. Pausanias delphin instrumentum putat esse bellicum in naualibus praelijs. Idem in lexico astruit Thomas magistri. Alij ad pessundandas naues, alij contra uentorum impetum, cuius & alibi meminimus. Eruditi quidam uersoria apud Plautum existimant positam pro nautico instrumento, quo soluturi nauis, unde uenti flarent, explorare soliti essent, cuius à libri principio meminimus. Molorchum praeterea instrumentum nauticum apud Statium Pampiniam in Syluis grammatici obseruant. Alij molorthum legere malunt, dictumque quasi μόλυβδος ὄρθον, hoc est, plumbum rectum, & perpendiculum interpretantur. Alij instrumentum ad tentandam aquae altitudinem. Sed cum utrunque parum sit cognitum, esto no-

minasse nobis satis. Certè in hoc Græci *βολίζω* uerbum habent, unde in Actis Lucas, *καὶ βολίζαντες εὐρομ ὀργυγὰς εἰηθ-
 σιν*, quo loco interpres latinus, summittere bolidem interpretatus est, ut *βολις* eo loco molorthū significet. Erāt præterea & instrumēta alia, quibus in bellis dūtaxat naualibus utebant̃, & quorum apud autores utriusq̃ linguæ crebra fit mētio, ut harpagones, quos ab Anacharsi Scytha inuentos scribit Plinius. Sunt & manus ferreæ, quæ *χειρὸς σιδηραὶ* dicuntur. T. Liuius in Syracusarum nauali oppugnatione ab Archimede elusa, Ferrea, inquit, manus firmæ catenæ illigata, cum iniecta proræ esset, grauiq̃ libramento plumbi recelleret ad solū, suspensa prora nauim in puppim statuebat. Memini & alicubi me legere apud Appianū non modo manus, sed etiam manicas ferreas inter hæc militaria instrumenta. Videtur & catarrhacta ab eodem Appiano

in quinto bell. ciuil. accipi pro ponte, qui in pugna nauali in hostium naues iniicit dum pugna conferitur. Appiani hæc sunt uerba: Catarrhactas proiecere è nauib. per uim insensuri. Menodori itaque naue eminente altius, catarrhactæ ad imum proræ faciliorem audacibus ad conscendendum præbebant aditum. Deductæ autem hæ uideri possunt à portarum catarrhactis, quarum mentio ab historicis & Liuius in primis facta est. Sunt & harpaga, nō eadem, ut puto, cum harpagone, quæ inuenta dicuntur non ab Anacharsi, sed ab Agrippa, ut Appianus libro v. bell. ciuil. memorię mandauit. Sunt & κῶρακος, id est, corui, de quibus cum alij tum Polybius, qui & eos elegantiss. describit. Sunt & σπέρινα, id est, falces, in apparatu nauali, quarū historicus Appianus & Pollux meminere. De his uero sic legimus: Fuit & falx non modo terrestris militiæ, sed & naualis instru-

mentum. Erant enim Romanis inau-
 dita magnitudine falces, quas cum ar-
 tificioſo quodam impulſu rudentibus
 hoſtium inieciſſent, nauigio remis in
 aduerſum acto, & rudentes uelut cul-
 tri acie tōſoris ſcindebantur, & anten-
 næ ſimul, ac ſuperba ruebāt armamen-
 ta. In hoc falcium genere reponūtur
 quæ Plato *δρυδρέπανα* uocat, quī Steſi-
 leum ait in nauī cum hoc militari in-
 ſtrumento contra aliam nauem ingen-
 tem decertare ſolitum. & cætera quæ
 de eo milite contra oſtentatores diuus
 Philoſophus narrat. Plura poſſem de
 hoc belli naualis apparatu afferre, quæ
 conſultò prætereō: unum duntaxat an-
 notauerim, apud Iuriſconſultum ex ar-
 mare nauem dici, pro eo quod eſt ar-
 mamentis ſuis ſpoliare. ad legem rho-
 diam de iactu. Græci id *δζοπλιζειν* dicūt;

nam & armamenta iam dixi

mus *τὰ ὄπλα* uocari.



NOstri instituti ordo exposcit,
 ut remos & huiusmodi reli-
 qua quib. nauigia impellun-
 tur, cōmodum exequamur; nam & na-
 uigiorū ipsorū ratio eiusmodi est, ut
 ijs recensitis quæ de nauīū instrumen-
 tis generatim dicenda uidebant̃, nunc
 speciatiim, & quę magis singularia sunt
 referamus. Sūt igitur remi perticæ seu
 conti, quę ueluti in palmam desinunt,
 unde fit ut interdum à poëtis palmę &
 palmule uocentur, quibus naues & ra-
 tes impellimus agimusq̃. Optimi ue-
 ro ex ijs arboribus fieri tradūtur quæ
 ad septentrionem uergunt, quod re-
 ctæ scilicet nascantur & proceræ, tum
 simul enodes & densæ. At quo pacto
 rectè ex arbore dolentur, docet Theo-
 phrastus in quinto de hist. plant. Nec
 illud ignorandum quod scribit Vitru-
 uius, qđ scilicet remi circa scalmos stro-
 phis religati, cum manib. impelluntur

& reducuntur, extremis progredientibus à cētro palmis in maris undis summam impulsu uehementi protrudunt porrectam nauem, secāte prora liquoris raritatem. Sed iam ad particulares uoces ueniamus. Seruius grāmaticus remū etiā significare scribit lorū quod tubam continet: dictus quidē remus, ut quidam putāt, ἀπὸ τοῦ ῥέειν, sed à remo uendis potius & decutiēdis fluctibus, sicuti & tonse à tondendis & feriendis procellis. Festus tamē, quod ferro tondeantur, idēq; Ennij autoritate cōprobat. Sunt qui remorū palmulas tonfas esse existimēt: à tonfa uero tonsilla uocāt, palus ad religandas naues. Actius: Tōsillas in littore edite. Tōsillæ quoq; morbus in faucibus. Dicuntur & remi trudes, à trudēdo, ut pleriq; existimāt. quidam perticas interpretant, & contos esse uolunt ad trudendas & impellendas naues. Meminit poëta: Ferratasq; trudes, & acuta cuspide contos

Vela, & eorum partes, & quibus uocabulis nuncupata.

Caput XIII.

Remis uela subiūgimus, utpote utraq; ad nauū celeritatē reperta, remis quidem quasi pedibus quibusdam, uelis uero ut a-
 lis: r̄s̄q; exemplo à uolucrū alis desumpto: & proinde poëta uideri potest dixisse, *Velorum pandimus alas.*
 Sunt qui uelorum inuentionem in Icarum Dædalī filium, alij in parentem referunt, unde est & fabulosus eorū uolatus. Alij in Æolum, quidam in Isin Ægyptiorū deam. Vela, inquit Casiodorus in lib. uariarum v. Isis rati prima suspendit, cum per maria Harpocraten filium suum audaci foemina pietate perquireret: ita dum materna charitas suum desiderium festinat explere, mūdi uisa est ignota referare. Hęc quidem ille. At uero Græci scriptores quidam, Dædalus, aiunt, parua primus struxit nauigia, quibus & uela excogi-

tauit, quę nondum antea fuerant, quo Minois nauigationē præueniret, cum ex Creta fugeret, cuius filius Icarus incautius & imprudentius nauiculam qua uehebatur dirigens, naufragiū fecisse dicit, qui in Pergami insulam iam tum etiam ignobilem tempestate delatus, ab Hercule sepultus est, de cuius nomine tam insula, quę mare uicinū, cognominata sunt. Triplici quidem forma uela fieri consueuere. Nā alia triangula, qua plurimū figura nūc utimur: alia quadrata, ut in minorib, nauigijs & amnicis fieri uidemus: alia rotunda, qualia se conspexisse nauitę Lusitani affirmāt apud Indos. Quin & in eorū maioribus nauibus ad duodecim uela habere tradunt. Vela uero, ut in x. scribit Vitruuius, & ratio palām facit, cū sunt per altitudinē mediam mali pendentia, non potest habere nauis celerē cursum: cum autem in summo cacumine antemne subductę sunt, tunc uehementiori

mentiori progrediuntur impetu, quod non proxime calcem mali, sed in summo longius, & ab eo progressa recipiunt in se uela uentum. Igitur cum uela per medium sunt temperata, minorem habent uirtutē. Quę autem in capite mali summo collocantur, discedentia longius à centro, non acriore, sed eodem flatu pressione cacuminis uehementius cogunt progredi nauem. Hactenus ille. Idem & Anneus Seneca: Nulla em̄ inquit, res æque adiuuat cursum, quā summa pars ueli, illinc maxime nauis urgetur: itaque quoties uētus increbuit, maiorque est quā expedit, antēna submittitur, minus habet uiriū flatus ex humili. Quibus sanē uerbis facilius fiet Aristophanis uersus ex ranis, ἀκροισι χρωμυλος ισίοισιγ. hoc est, summis usus uelis. Et itē Pindaricū illud in Nemeōn: Surfum, inquit, extende uela ad carchesij iugū. hoc est, ἀνὰ δὲ ισία τείνον πρὸς ζυγὸν κερχαιοῖσ.

Vela uero confici ex diuersa materia,

nam & ex lino, cannabe, scirpo, sparto
 & corio non modo usus cōprobat, sed
 & autores receptissimi. Theophrastus
 & Plinius etiam ex papyro fieri prodi-
 dere. Julius quoq; Cæsar in cōmenta-
 rijs belli Gallici, Venetos Gallicā gen-
 tem ait ex pellibus alutis uela confice-
 re solere. Sanè uela græcè *ἰσιᾶ* dicuntur,
 unde *ἰσιορῥάφθ*, qui uela cōsueit uel con-
 ficit. Vocantur & nōnunquā uela otho-
 næ. Lucianus in dialogo episcopūtes,
τότε ὑμεῖς ὑπ' ἀγνοίας κελθῦετε τὴν ὀθόνην σείλαι.
 id est, tūc uos per inscitiam iubetis ue-
 la cōtrahere. Idem in Ioue Tragædo:
 Tunc, inquit, uentus incidens in uelū.
 hoc est, *τότε ἀνεμθ ἐμπίπτωρ τῆ ὀθόνῃ.* Licet
 & hac uoce omne linteū uocari uidea-
 mus. In Euangelio certè Ioannis Chri-
 stum scribitur othonijs inuolutū cum
 aromatibus: hoc est, ut græcè legitur,
καὶ ἐδρασαν αὐτὸν ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων.
 Pollux othonen apud Homerū ex uel-
 lere & lana, q̄ ex lino fuisse mauult.
 Paulus

Expediunt. quo tamen loco in casti-
gatis codicibus fudes, nō trudes, legi-
tur. Sunt qui trudes instrumenta esse
putent, quibus saxo inhærēs nauigiū,
trudi uel reduci soleat. Reponit̄ & in
hoc genere cōtus, de quo sic Donatus
Contus pertica oblonga in capite fer-
rum habens, qua nauitæ utūtur ad ex-
ploranda loca nauibus opportuna, un-
de & prouerbiū, conto nauigare, ut
est apud Suidam: hoc est, rebus sic uti
quo pacto conuenit, uel qui eam uitæ
rationē sequitur, quæ suo ingenio con-
gruit. Alij rectius de ijs interpretātur,
qui tentim & cunctanter admodum
rem quampiam aggrediuntur: unde
etiam conta & contor & percontor de-
ducta sunt. Sunt qui à cūcta, id est, mo-
ra deriuēt. Græcum uero uocabulum
contus esse uidetur, id quod facile ex
Græcis autorib. colligitur, qui ut suum
illud usurpant, atq; in primis Iul. Pol-
lux, nisi fortassis, ut alia pleraque, è no

stris ad grecos migrarit. Hinc & *νοῦατα*
 nauigia, quod scilicet contis impellerē-
 tur, quorum mentio fit ab Appiano et
 Diodoro. Nostrates nauitæ palustres
 his contis sæpe impellunt suas cymbas.
 Est & contus hasta militaris Vergilio
 in x. Duris detrudere contis. Idem no-
 tat & Marcellus, unde contati, ut ha-
 stati milites apud Vegetiũ. Et item pal-
 mula remus, seu, ut dicebamus, extre-
 ma remi latitudo. Græci remi partes
 has faciunt; Enchiridion, hoc est, ma-
 nubrium, qui & capulus. Vracos, que
 media est pars. Pteram & tarsum, quæ
 palmula est, unde & remorũ ordines
περσώματα uocantur. Hanc quidem remi
 partem Apollonius in quarto Argon.
πηδύον uocat, ut etiam interpretes notat.
 Theophrastus tamen *πηδύον* ligni quod-
 dam genus sic uocat. Est quoque inueni-
 re *γύνιον* pro parte remi, que à scalmò in-
 tus in nauis est. Est & hyperesion remi
 genus, ut quidam interpretantur. Sunt
 qui

qui eum esse credant quē uulgus nau-
ticum tertiarolum uocat. Alij partem
eam quæ remis subiacet. Remus utiqꝫ
à Grecis multis uocabulis appellatur:
nam & ῥέτρος uocatur, unde dicti ῥέτρος
& ἀντῤροτα remiges. Dicitur & ἐλάτης, &
πλατή, & κώπη. unde nauigiū quod xx.
remis agitur εἰκοσάκωπον uocatur: & qui
remigant nautæ ἐλικώπες, ut est apud
Theophilum: tametsi et ἐλικῶπις epithe-
ton sit eius qui in se hominū conuertat
oculos, uel nigra oculos: alij alia, quæ
nihil ad nauigia. Reponuntur etiā in-
ter remorū genera qui κώπαι θραυτικαὶ
dicuntur, qua dictione usus Callixenus
Rhodius, & Athenæus in Philopato-
ris nauis descriptione. Sanè quoniam
in re nautica uilissimū est remigantiū
ministeriū, de ijs prouerbiū factū est
qui ex humili & ultima sorte ad aliqꝫ
dignitatis fastigiū ascenderūt, à remo
ad tribunal. Syrianus: Illois, inquit,
manibus à remo ad tribunal ascendit.

Remū quoq; ad laborem referimus, ut cum Plutarchus ait, oportere addiscentem remos impellere. Notissimū & Latinorū illud, remis uelisq;, cum aliquid nauiter & strenuē agendū est. Marcellinus uero, contis & remis. Nō contis (inquit) nec remulo, ut aiunt, id est, non flexiloquis ambagibus & obscuris, sed uelificatione plena in re pub. ferebatur. Porro ne quid desideres à me quod succurrat, dicimus eleganter pro eo quod est remos collidere uel confringere, remos detergere uel defringere, & qđ Gręci *παρὰς θραύειν*, uel *σῶφιβειν*, uel *πῆσάσκειν*. Cesar de bello ciuili: Aut remos transcurrentes detergere si possent contendebant. Idem alibi, hoc est, de bello Alex. Nullius remi detergerentur. Liuius: Alterius remos deterfit. Idem alibi: Aut prorā lacerabat, aut remos detergebat. Idem quoq;: Et primū ab utroque latere remos defringunt.

Vela,

artemonem appellant. Quibus planè
 uerbis uidemus artemonē genus esse
 trochleæ, quæ in radice machinæ scan-
 foriæ, ut Fr. Iocūdus ait, ponitur. Un-
 de & nonnulli duo significare artemo-
 nem putāt, uelum illud minutū quod
 diximus, & hoc latinum nomē esse, di-
 ctumq̃ quasi arrectū temonem: illud
 uero græcum πρὸς τὸ ἀρτάω, quod appen-
 do et apto significet. Artemonismemi-
 nit & Lucas in Actis apost. cap. xxvij.
 καὶ ἐπάροντες τὸν ἀρτήμονα τῆ πνύσῃ κατ᾽είχον εἰς
 τὸν αἰγιαλόν. hoc est, leuātes artemonem
 secundum flatū ad littus appellebant.
 Eius etiam mentio est apud Sid. Apol-
 linarem, si interpreti standū. Sunt qui
 unam tantum significationē artemo-
 nem habere existiment. Quidam uir
 sanè doctus artemona eundem cū aca-
 tio esse ostendere conatur, parum ui-
 dens minus quæ attulit hoc probare.
 Qui uero antemnā interpretati sunt,
 nihil tum planè uidebant. Est etiam ar

temon nomen proprium: eo enim nomine plerosque uocatos legimus, pictorem unum, scriptorem alium, & alium quidem molliore, qui inde quod lectica circumferret, *παραφόρετος* cognominatus est. Sed & herbe nomen proprium apud Dioscoridem. Suppara quoque inter uelorum genera reponunt, ut apud Lucanum: *Imaque pandens Suppara, uelorum perituras accipit auras.* Seneca in xi. epistolarum multa de supparis nauium Alexandrinarum. Supparum uero sic describi uideo. Genus aiunt ueli, unum habens pedem quo iuuari nauigia solent in nauigatione, quoties uis uenti languescit. Puellarem quoque uestem lineam supparum Varro, Festus & Nonius faciunt, dictam quod supra appareat, uel super alias uestes paratur: atque hinc quidam propterea supparum non uelum prope interpretantur, sed ueli finum. Donatus & suppara scenarum uela uocat, que alij siparia uocant.

Sextus Pomp. siparium, inquit, genus est ueli mimici. Alij suppariū uocāt, ut in poëtis scenicis retulimus. Mansarium in super, scribit idem Pompeius, uelum dici q̄d in prora ponitur, quod in castigatioribus codicibus mendicū uocatur, a stipulante etiā Isidoro in lib. etymologiarum. Sunt qui putāt eam esse quæ cochina uulgò dicitur. Sed & carbasus figuratè uelum significat. Vergilius: Vocat iam carbasus auras. Idem: Tumidoq̄ inflat carbasus austro. à lini, ut ait Seruius, genere, ex quo præcipue uela fieri cōsueuerūt. Dicimus autē carbasus & carbasum, hoc est, femineo & neutro genere. A carbaso carbaseus deflexit Verg. Appellaue re & uela carbasina antiqui, quib. & fora et theatra obtegerent; id primus Rome Q. Catulus cū Capitoliū dedicaret præstitit. Vocant et uelaria à poëtis præcipue, & à Græcis peripetasma. De carbasinis quidē Plin. li. xix. Carbasina,

inquit, uela primus in theatro duxisse tradit̄ Lentulus Spinther ludis Apollinaribus: mox Cæsar dictator totū forum Romanum intexit, uiamq̄ sacrā à domo sua ad cliuū usq̄ Capitolinū, q̄d munere ipso gladiatorio mirabilius uisum tradūt. Deinde & sine ludis Marcellus Octauia sorore Augusti genitus, in ædilitate sua auunculo XI. Cos. calend. Augusti uelis forū umbrauit, ut salubrius litigantes cōsisterēt. Mox subiūgit idem: Vela nuper colore cœli stellata per rudentes Nero princeps exhibuit. At nos his misis quæ ferè sunt præter institutum, redeamus ad nautica. Vocantur & uela à græcis uarijs uocabulis, & in primis *isíæ* ab *isòs*, qui nauis malum significat, & ideo *isobry* inter nauium partes connumerauimus. Hac occasione lapsus facilem illis fuisse crediderim, qui cum ex græcis mali partes ad latinos cōuerterent, ueli uertēre, inter quos Macrobius, ut

Paulus Aegineta & Græcialij medici, othonia pro linteis lineis accipiunt, quibus excipiuntur medicamenta. ἀρμυρα demum & uela maiora uocantur, unde τριαρμυρα nauis. Vela tria facit Iul. Pollux. Maius quod acation appellat: quod a tergo est, epidromon: quod minimum, dolona. Pollucem sequitur Isidorus. Acation, inquit, uelum maximum est in media nauis constitutum. Epidromos secundae amplitudinis, sed ad puppim. Dolon minimum, & ad proram defixum. Hinc ergo est τριαρμυρα nauis, quae tria habeat uela, cuius apud autores est mentio, ut fuit nauis Antigoni. Porro epidromos alio loco Pollux uocat funiculos plagarum discurrentes, quibus retia panduntur & contrahuntur. Eosdem & epidromides & prodromos appellat. Sanè & dolonis est mentio apud Latinos, ut apud Liuium, dolonibus erectis altum petere intendit. Idem: Sublatis dolonibus, effuse effugere contendit.

Procopij tamen interpretes eo uocabu-
 bulo uocari uela maiora credidit, id
 quod & grāmaticus Theophilus. Vul-
 gus certe nautarum hoc tempore me-
 dianū uelum uocat, quod in puppi eri-
 gitur; trenchetum quod supra artemo-
 nem. Porrò dolon etiam genus est te-
 li, cuius Verg. meminit: Sæuosq̄ ge-
 runt in bello dolones. quo loco Ser-
 uius: Est autē, inquit, dolo flagellum
 intra cuius uirgam latet pugio, aut se-
 cundum Varronē, ingens cōtus cum
 ferro breuissimo. Dolones autem à fal-
 lendo, id est, à dolo dicti sunt, quod de-
 cipiant ferro, cum speciem præferant li-
 gni. In hoc quidem significatu etiā ca-
 piunt Iurecōsulti, quod Beroaldus &
 Budæus ante me annotarunt. Utitur
 & Suetonius in Claud. & Plutarchus
 & Graccho, *επιπίδνον ληστρικόν ὃ δόλωνα καλεῖσι.*
 Sanè pro uelo, dolo græca est dictio,
 pro telo, latina. Dicitur & ueli pars
λείπασθαι, ut Iulius Pollux notat. Ali-
 quibus

quibus uero acatius uidetur. Isidorus etiam artemonem ueli partem existimat. Nec enim, quod celebres quidam scriptores faciunt, hac in re Iul. Pollucem citauerim, qui in partibus nauium nullam artemonis mentionem facit. Nescio unde Sipontinus eduxerit, artemonem pro uelo per n, quasi ante amnem uocatum esse. Nam artemon, inquit, uelum est quod potest facilius obliquari, quo nauis in summo tempestatis discrimine utuntur. Ad dirigendam uero potius nauem artemonem, quam ad celeritatem esse, docent cum alij, tum sacrarum literarum interpretes. Meminit & Iabolenus Iurisconsultus his uerbis in ff. de uerb. & rerum sign. Malum, inquit, nauis esse partem, artemonem autem non esse, Labeo ait. Et uerius est quod plerumque naues sine malo inutiles essent, ideoque pars nauis habent. Artemon uero magis additamentum, quam pars nauis, quae uerba re-

citavi ut in antiquo exemplari habentur, quo sanè loco præclarè Alciatus. Vnde mirū eo magis hominem eiusdem professionis hallucinatū, cum eadem Juriscons. uerba inter nauigia exponeret, uulgus nauticum secutū esse, ut putarit uelum maius eo nomine appellari. Qua enim de causa malus in nauī nisi ut uela sustentet? Vela igitur non additamentū, sed artemon additamentum. Est ergo artemon minus illud uelū, quod uelis maioribus appendi solet, unde & illi nomen. Ex hoc causa est præstita ignaræ plebi, ut uelum artemona uocet. Porro & quidam La beonem & labolenum trochleam intellexisse uolūt in lege superius citata, quæ trochlea etiā nauibus conueniat, ut & nos superiori capite scripsimus, & Vitruuius lib. x. docet, cum de machinis tractorijs ageret, quo etiā loco ita scribit: In radice, ait, locat̃ tertia trochlea, eam autē Græci ἐπιγόννα, nostri

artemo.

cum de carchesio ageremus ostendimus, eius uero erroris causa fuit, quod in exemplaribus nō castigatis aliquando pro *ἰσίω*, *ἰσὸς* legitur, ut etiam in Poluce offendimus. Sunt & inter uela *λαίφρα* quæ uocantur, & *ἀρμαλία*, & quæ *ἀρμυλα*. unde uetus illud, *κατὰ ναῦν ἀρμυλα*, hoc est, iuxta nauem uela, de his quæ in uicem & simul congruunt: neq; enim cuiq; nauigio omne ueli genus conuenit: unde & triarmenos nauis, ut supra meminimus. Sed de uelis illa utiq; nō silenda Plinij exclamatio, quæ lib. xix. legitur, cum iam miraculū illud suspirasset, herbam esse, linū uidelicet, quæ breuissimo temporū spatio Ægyptū Italiæ admoueret, in tantum, ut à Sicilia freto Alexandriā septima die quandoq; perueniatur, & sexta nōnunquā, & à Puteolis nona die: à columnis uero Herculis septima die Hostiam usq; aliquādo, ne omnes nauigatiōes quas ille, & nostra etiam tempestate perni-

cius factas, hoc loco cōmemorem. Illa certè eius est exclamatio: Audax uita, scelerum plena, aliquid seri, ut uentos procellasq̃ recipiat, & parum esse fluctibus solis uehi. Iam uero, inquit, nec uela fati esse maiora nauigijs, sed quāuis amplitudini antemnarū singulę arbores sufficiant, super eas tamen addi uelorum alia uela, præterq̃ alia in proris, & alia in puppib. pandi, ac tot modis prouocari mortem. Hactenus Plinius. Nunc de uelis cætera profequamur, quæ & colorib. uarijs antiquitus tangebantur, nec minus hoc tempore. Et ut fabulosa mittamus, nigra Thesei, Alexander certè uersicolorib. usus est Indo amnè nauigans. Velo purpureo ad Actiū cum M. Antonio Cleopatra cum Augusto certatura, nauali prelio uenisse proditū est, eodemq̃ fugisse. Est & apud Plin. lib. xxxv. alius inficiendorū uelorum modus. Candida, inquit, uela postquā attriuere illi-

nentes

nentes non coloribus, sed colorem sorbentibus medicamentis. Hoc cum fecere infectores, nō apparet in uelis, sed in cortina, hoc est uase, pingi. In feruētes aquas mersa, post momentū extrahunt picta: mirūq; cum sit unus in cortina color, ex illo alius atque alius fit in ueste, accipientis medicaminis qualitate mutatus, nec postea abluī potest.

Porro ut & loquendi figuras aliqua ex parte attingamus, dicimus uela cōtrahere, quod Cicero & Horatius: uela legere, qđ Verg. in iij. quo loco Donatus: Lego, inquit, uerbum nautis familiare: nam funes & uela cū colligūt, uel aliqua loca cū transeunt, legere appellant. Dicimus item uela dare, quod idem & Cic. & uela facere, & uela pandere: ut, uelis passis apud Cic. & apud eundem uelificor, & uelificatio, & uelificantes naues. Tum etiam & uela ducere uel subducere, ut est apud Cæsarem in cōment. Emanarunt & à uelis

prouerbia, ut, remis uelisq̄, quo nō semel usus est M. Cic. Qua figura Plautus etiam, Remigioq̄ ueloq̄ quantum poteris festina, dixit in *Asin.* Item, uelis equisq̄, ad conatū significandū. Idem in *Offic.* Cum his equis uelisq̄, ut dicitur, decertandum est. Idem ad *Q. Fratrem*: Corrigam tarditatē tum equis, tum uelis, quib. in locis inter eruditos fit digladiatio, quod in antiquis codicibus equis uirisq̄ legatur: nam & in octaua *Philip.* Putabam fore ut omnes inflāmati odio, excitati dolore, armis, equis, uiris, quo loco passim uiribus legitur. Huiusmodi uero colores ac figuras loquendi interspersisse nō iniucundum fuerit. Deinceps porrò ad funes & rudentes me conuertam.

De funibus & rudentibus, ceterisq̄ nauigiorum restibus, & quæ eorum appellationes.

Caput xv.



Ignorat nemo, puto, q̄ sint in re nauali necessarj funes, tū ad uincula, tum ad nauiū tra-

ctus

ctus & retinacula, ut eos nō immeritō hoc loco cōnumerare, & à præsenti negotio nihil alienum esse uideatur. Sed primū uideamus ex qua materia conficiantur. Fiūt uero in primis ij ex canabe, lino, sparto. Iunco, ait Plin. græcos ad funes usos, nomini credamus *χοῖν*, quo herbam eam appellant. Ex palmæ quoq; folijs in oriente ualidos funes fieri, eosq; in humore utiliores, moxq; & ex philyra, manifestum est. Sed & ex arborū quoq; corticibus, scribit Theophrastus in iij. de hist. plant. fiunt, ut ex ceraso, detracto cortice: ex uite & tilia. Idem in v. Habet etiā corticem funibus cuiusque per cōmodum acer & carpinus. Fiunt & in orientalibus ad septentriones ubi proceræ nascuntur arūdines, nauigia, & quidem ampla, ijs connexis & colligatis trahi longis, CCC. interdū passibus: ut minus mirū sit nostra in Pado molendina retinaculis ex perticis confectis ad

amnis ripas contineri. Sed & nōn unq̄
 lintres ex ripa longur̄is impelli agiq̄
 uidimus. At nos institutū sequamur.
 Funes igitur in primis & restes, ruden-
 tes appellamus, à nimio, ut grammati-
 ci aiunt, stridore, à Græcis *νήια* uocata:
 unde prouerbiū æditum est, *νήια καὶ κώ-
 πεις αὐτ' ὀπλων ἠλλάξαντο*. hoc est, rudentes
 & remos pro armis permutarunt. Di-
 cimus & rudens numero singulari. Ci-
 cero de Diuinat. Sed est quasi ruden-
 tis explicatio. Dicuntur & funes *κάλως*,
 at certè *κάλως* omnis funis intelligitur.
 Vulgus nauticū per antistichon nunc
 cauum appellat: unde *καλώδιον* paruus
 funis, & *καλώσροφον* qui latinè restio uo-
 catur, qui et *χοινοπλόκον*, ut paulò post di-
 cemus. Grammaticus Moscopulus illud
 de hac dictione *κάλως* obseruat, quod in
 genitiuo *κάλω* facit, per ablationē *σ*, ut
μυγέλεω. Dicimus & *κάλως κάλου* per *ο* par-
 uum; & *κάλως κάλωος*, ut est illud poëtæ,
ῥοχθούσι δὲ κάλωος, id est, resonātq̄ ruden-
 tes.

tes. Extat de hoc prouerbiū, πάντα κινῶ-
 λων κινῶν, id est, omnē mouere funem:
 quod aliqui sic proferunt, πάντα κάλων
 σείειν, hoc est, omnem cōcutere funem:
 de his qui rectē aliquid nō instituunt,
 metaphora sumpta à nauigantibus,
 qui in nauigationib. restes omnes mo-
 uent. Omnē igitur funem mouet, pro
 eo quod est, omnē machinā. Hæc ille,
 Quæ ideo adscripsimus, ut ijs adiun-
 gas quæ prouerbiorū autor collegit.
 Funes uero quibus uelum subducitur
 mesurias uocant: & quibus ex utraqz
 parte proræ malum cōstringitur, pro-
 tonos: quibus à laterib. pedes: & quod
 reliquum est eorum, propedes appel-
 lant: cum quibus etiam iij sunt qui ter-
 thrj uocitant: & post eos, quos μέσσοι,
 id est, medios appellari uideo. Sed se-
 orsum hæc uideamus. Pes, nauticus fu-
 nis est, cuius Verg. meminît. Vnà om-
 nes fecere pedē, quo loco Seruius grā-
 maticus podiam interpretať, etiānum

hodie sic uocitatum, hoc est, funē quo
 uelum tenditur. Quidam tamē extre-
 mum ueli angulum esse opinantur. A
 pede propes dictus, funis quidam quo
 pes ueli alligatur. Meminit eius Tur-
 pilius poëta: Quasi, inquit, cum uētus
 fert nauē in mare secūdus, Si quis pro-
 pedem misit in ueli sinistrum. Pedem
 & propedem innuit Catullus poëta,
 cum ait: Siue utrunq; Iuppiter simul
 secūdus incidisset in pedem. Item Pli-
 nius: hisdem, inquit, uentis in cōtrariū
 nauigatur prolatis pedibus. quo loco
 innuit Plinius, quod indies fieri uide-
 mus, ut uno eodemq; uento per maria
 in contraria nauigetur. Pedem & Gre-
 ci *πόδια* uocant, ut apud Euripidē, Plu-
 tarchum & Lucianū. Est quoque pro-
 uerbiū in eos, qui quæ magis sunt op-
 portuna negligūt, & leuiora quædam
 sectant, *ἄφεις τὴν ὑπέραν τῆν πόδια διώκει*. hoc
 est, Hyperam dimittens pedem sequi-
 tur. Huius meminit Hyperides ora-
 tor

tor. Hypera uero funis est nauticus à summo propendens, quo antemnarū cornua traducuntur. Sunt & pesmata propè funes quibus anchoræ ligantur, quorum Pollux & Suidas, alijq; meminere scriptores nō pauci. Quidā prynnesia esse arbitrati sunt, de quibus paulò post agendū. Theophylactus sacrae scripturae interpres, duob. in locis, hoc est, in Matthæi & Marci Euangelio, camelum tradit funem crassum significare, quo nautæ alligandis anchoris utuntur. Idem & Suidas, qui & illud notat, ab aliquib. non per ἦτα, sed per ἰῶτα scribi, hoc est, non κάμηλος, sed κάμιλος. Epitonius, ait Theophilus, lori est uel uinculi genus, quo antemna malo alligatur. Eius meminit Aristophanes et Homerus. Alij ligaminis omne genus ἐπιτονον vocāt. Protoni uero funes dicuntur, qui ex mali utraq; parte à prora & à puppe extendunt, ut in primo Apollonij Rhodij grāmatici obseruāt. Alij

& genere neutro quoque enunciari afferunt. Sunt & qui protonon extentum funem interpretentur. leges in Phauorino plura. connumerant & inter funes himonia, que ex loris conficeretur ad aquas hauriendas. Sunt & tropi, qui & tropoteres & epicopeteres uocantur, uincula, quibus scalmos remus alligantur. Sunt item qui primi & secundi uocantur, item qui thalamius, ut notat Pollux. Tropi a nostris struppi (puto) dicuntur. Liuius: Tum remos religari struppis. Vitruuius in x. strophas hos appellare uidetur, cum ait: Naues etiam remi circa scalmos strophis religati cum manibus impelluntur. Quidam hinc uernaculum illud nostrum deductum affirmant, quo passim in tota Emilia utimur & Venetia, stroppæ, que flexilia sunt uimina ad quecumque colliganda idonea. Hinc perplexa & inuoluta uerba, tum facta etiam, strophas dicimus. Hinc & strophea, hoc est, *στροφæα* Lucianus uocasse

casse uideat in eo dialogo qui πλοῖον seu
 ἔνχα inſcribit. Item & Apuleius in xi.
 ubi de Iſidis naue agit. De ſtrophijs ue
 ro puellarū nihil eſt cur hic agamus.
 Sunt & qui terthron, tenuē quendam
 funiculum nauticum arbitrentur; qui
 dam malo attribuūt, ut paulò antè me
 minimus. In hoc reſtū genere & qui
 dam ſpiras addidere, quæ propriè, ut
 ait Seruius, ſunt funium uolubilita
 tes, ſiue, ut Feſtus ſcribit, funis nauti
 cus in orbem conuolutus, unde ada
 gium eſt, ἢ ἀσείρα χοινίου, id eſt, funicu
 lus ad reſtim, cum aſtus aſtui additur.
 Et alia ſignificat ſpira, quæ à gramma
 ticis tum græcis tum latinis quæren
 da ſunt. Vergilius certè de ſerpenti
 bus tantū (quod memini) uſus eſt, ut
 in illo: Squameus in ſpiram tractu
 ſe colligit anguis. Et de Laocoonte:
 Spirisq; ligant ingentibus. Item in
 xij. Paribusque reuinxit Serpentum
 ſpiris. Eſt & tranſenna funis extensus,

ut in quinto Aneid. docet Seruius in
 eos poëtae uersus: Ingentiq; manu
 malum de naue Serefti Erigit, & uo
 lucrem traiecto in fune columbam,

Quo tendat ferrū, malo suspēdit ab
 alto. quo loco ait Seruius, traiecto,
 id est, extento, unde transfenna dicitur
 extensus funis. Sallustius: Transfenna
 demissum uictoriae simulachrum &c.
 Hæc ille. Sed & Plaut. pro laqueo seu
 fune ad decipiendum accipere uidetur,
 cum ait in Bacch. Nūc è transfenna tur
 dus lumbricū petit. Idem in Rud. Plu
 rimæ fiunt transfennæ ubi decipiuntur
 dolis, Sedenim & aliquando ponitur
 transfenna pro clathris & cancellis, quo
 modo utitur Cice. in primo de Orat.
 Tum etiã quidam tormentū in funes
 cōmemorant, funēq; esse contendunt,
 quo prora ad puppim constringitur,
 quod quale sit mihi non succurrit. Ad
 dunt & ijdem saphonem, cuius ita Cæ
 cilius meminerit: Venerio cursu ueni
 prolato

prolato pede usq; ad saphonem. Addunt & opiferas, quib. cornua antennæ dextra sinistraq; tenduntur: alij opiferos uocant, funes scilicet. Addunt item & mitram, qua nauis mediâ uincitur. Item anquinã, qua ad malum antenna constringitur. Cinna poëta:

Atq; anquina regit stabilem fortissima cursum. In hoc genere quidam ἀγκύλας reponunt, unde etiam anquina deducta uideri potest. Scribit Nonius Marcell. anchoras esse uincula quib. antennæ tenentur, idq; Lucillij carminibus probare nititur, ut supra docuimus cū de anchora ageremus, monuimusq; mendum subesse, & ex Isidoro reponendum anquina. Sunt & qui helcyon funem esse dicant tractoriū, à quo fit helcyarius, ut suo loco dicemus. Helcyon nunc uulgus nostrate nauticū helcyanã appellat. Apuleius tamen lib. ix. per tralationem uocauit helcyon id quod ante pectus equorū, & id

& id genus animalium, ab armis pendens
 instrumentum, quo & molæ per machi-
 nulam innexæ uersantur, & currus per
 temonem trahunt, unde & nomen ac-
 cepisse potest. Apulei uerba: Helcyo
 sparteo dimoto, & idē paulò post: Hel-
 cyo tandē absolutus. Rhymata quoq̃
 reponi uidemus inter funes tractorios
 à Polybio, *παρὰ τὸ ῥύω*, ut puto, *τὸ ἐλκύνω*.
 Polybius in primo: Ad hæc instituerunt
 hippagos, rhymata dantes ex his tertie
 classis nauib. Vel, ut uertit Perottus:
 Post tertiam classem sigillatim ordinã-
 tæ erant naues quibus equi uehebantur,
 hæ tertie classi funem præbebant.
 Græcè uero sic habet: *ὑπὸ δὲ ῥύτοις ἐπέση-
 σαν τὰς ἵππαγους, ῥύματα δόντες δὲ αὐτὰρ ταῖς τοῦ
 τρίτου στόλου*. Xenophon in primo Hella-
 nicōn *πρᾶξ ῥύματα* uocauit. Non me fu-
 git & alia ῥύμα significare, inter quæ im-
 petum & propugnaculum. Sanè à rhy-
 mate uerbū deducitur *ῥυμούλκειν*, quod
 nos remulcare. Idem Polybius: *τῶν μὲν
 ῥυμούλ-*

ῥυμολκόντων τὰς ἰππηγὸς ναῦς. Diodorus Si-
 culus: ῥυμολκον στρατιωτικὰ πλοῖα. Idem: καὶ
 τὰς ἰππηγὸς ῥυμολκον μάλιστ' ὑπὸ τῶν εἰρεσίαις χρω-
 μάλων. Latini tamen remulcare à remul-
 cendo deflectūt, ut Non. scribit. Sanè
 remulcus funis ab aliquib. appellatur,
 quo deligata nauis remi uice trahitur.
 Valgius antiquus poëta: Hic mea me
 longo succedēs prora remulco Letan-
 tem gratis sistit in hospitij. Obseruau-
 mus uero apud idoneos autores dici,
 remulco trahere, & remulco agi, & re-
 mulco abducere, itēq; remulco abstra-
 here. Sunt magni alioqui proflores,
 qui remulcū paruā nauē siue scaphā in-
 terpretēt. Promulco quoq; pro remul-
 co dixisse antiq; testis est Sext. Pomp.
 qui ita scribit: promulco agi nauis dicit̄
 cū fune nauis ducit̄. Sed de remulco et
 promulco satis. Sūt & inter nauticos fu-
 nes serilla, ut antè diximus. Sunt et qui
 in hoc genere selmidas connumerent,
 unde & eufelmos nauis, qua de alibi,

quæ tamen à seimate potius deducit̃.
 Cataprorates linea est cū massa plum-
 bea, qua maris altitudo tentatur. Lu-
 cilius: Hanc cataproratē puer eodem
 defert. Prymnesiū putat Theophilus,
 ut antè diximus, & cū Theophilo Sui-
 das αἰγός, & unà cum his Hispalensis
 Isidorus, funem esse, quo in littore na-
 vis palo alligatur. Homerus: *δή πο-
 τε κοιμήσονται πρὸς πρυμνήσια νηός.* hoc est,
 ut & nos ludamus: Tum prope cōci-
 piūt navis prymnesia somnū. Apollo-
 nius in primo: Illis Argus prymnesia
 soluit Littoreo è saxo. hoc est, *πρυμνή-
 σια δὲ σφισιν ἀργεὺς λύσειν ἑπ' ἐκ πέτρας ἀλιμύρεος.*
 At hoc non ostentationis gratia, sed ut
 falsam grammaticorū opinionē mon-
 straremus, qui Festum secutí, prymne-
 sium arbitrantur palum seu tonfillam
 significare, ad quem in littore navis re-
 ligatur. At meo quidem iudicio Pom-
 pei codex mendosus est, & ita castigan-
 dus: Prymnesium funis nauticus, quo
 navis

navis ad palum religatur, quem alij
 tonfillam dicunt: at ita ipsum Festum
 scripsisse crediderim. Sed quisquis fuit
 ille Paulus qui Festi uolumina in com-
 pendium redegit, eius errati autor,
 non Festus, fuit: quem postea Paulum
 secuti sunt alij alioqui eruditi, inter
 quos primus Sipōtinus. Sed de prym-
 nesio satis. Porro funis quo navis litto-
 ri alligatur, ab iisdem græcis ἐπίγειον &
 πείσμα uocant. Oram etiã quidam apud
 latinos dicunt funem nauticum signi-
 ficare, quo ad terrã navis ligatur. Fab.
 Quintil. Permittamus uela uentis, &
 oram soluentibus bene precemur. Et
 idem alibi: Sublatę sunt anchorę, solui-
 mus oram. Liuius: Trahunt scaldas, o-
 rasq; & anchoras, ne in molientib. mo-
 ra esset, præcidunt. Vt idem ferè sit qd
 gręcè dicitur, τὰ ἀπόγεια λύσεσθαι, & quod
 modo attulimus ex Apollonio, πρυμνή-
 σια λύσειν, hoc est, retinacula soluere. Li-
 terati tamẽ quidam oram negant pro

fune accipi: & in Liuiio quidem non
 oras, sed lora reponūt, uetusti, ut aiūt,
 exemplaris fide fultī. Fabium uero in-
 terpretantur, oram, id est, à littore sol-
 uentibus: cuius sententiæ fuit Beroal-
 dus & Calepinus, pro quib. facit Cic.
 quia ait, portum soluentibus. Dicuntur
 & hi funes retinacula. Liuius: Plurib.
 retinaculis ualidis parte superiore ripe
 religatum &c. Verg. Strictoq̃ ferit
 retinacula ferro. Idem & funem di-
 xit: Nō illa quisquam me nocte per
 altum Ire, neq̃ à terra moneat cōuel-
 lere funem. Sed & funis nauticus τὸ
 σπάρτον, & numero plurali τὰ σπάρτα, à ge-
 nistæ genere notissimo uocant, ex quo
 & apud antiquos & hoc etiam nū tem-
 pore funes & restes conficiuntur. Nota
 uero est Varronis, Plinij & Gellij, sed
 & Homeri interpretū sententiā, sparti
 usum non fuisse ætate Homeri, cum ce-
 cinit, σπάρτα λέλυται. Item q̃ an proprie
 sit sparton quam genistam uocamus,

cum eius duæ sint species. At certè à spartis spartina piscatorum funis dicta est, qua in Auibus fabula usus est Aristophanes. Est & sparte fabri lignarij linea, qua materiam dirigere solent, unde & prouerbia quorum suprà meminimus. Sed de sparto, & spartis hominibus qui dicuntur, aliàs in obseruatis nostris plura notauit. Est & napura funiculus ex stramēto factus, ut in commentario sacrorum reperitur: Pōtifex napuras facito, quod et Pompeius scribit: quo modo & Græci merinthos, & merindos funes significant, qua de re ex Græcorū cōmentarijs plura in Corollario Hermolaus. Existimant à quibusdam & mataxa funis species, quæ tum ex sparto, tum ex cannabe & lino conficitur, cuius Lucillius meminit:

Plumbi pauxillum rudis, liniq; mataxam. Meminit & Vitruuius lib. vii, cum ait: Et mataxæ tomicæ ad iustam longitudinē una crassitudine alli

gationibus temperentur. Idem lib. vi. de paludibus inquit: Tenues colligantur mataxæ. Mataxam uero quasi metaxam Isidorus dictam opinatus est, à circuitu uidelicet filorū à meta, uel qđ transferatur græca deriuatione. Iustinianus Cæs. lib. Codicis undecimo fascem interpretatur, uel cōgeriem pensorum lane, uel lini. Hanc nunc uulgò Hispani una uel altera mutata litera, madexe dicūt. Quin & mataxã in quibusdam Heetruriæ urbib. hodie ex filo globū à uernaculis audiui. Vtiñ quoque hac dictione inter antiquos medicos Theodorus Priscianus in iij. seu, ut alij putant, Octauius Horatianus. Sed certè ego utrius sit liber ambigo. Manardus Theodori quàm Horatiani esse mauult, uel Alexandri Tralliani autoritate, eo nomine ipsum citantis. Verba igit̃ utriusuis sint, hæc sunt: De capillis ipsius mulieris qui excidunt, quando se ornant cum mataxa.

Sanè

Sanè & medici quidam græci recentiores, mataxã sericum crudum uocant, cuius est in medicina usus: unde & in scholio Horatiani, mataxa, inquit, sericum dicitur. Apud uero Aetiũ & Actuarium cataxa uocari uideť, licet ego mataxã utrobicq; legendum semper existimarem, qua in re alioqui eruditi quidã sunt decepti. At nos penè è nauigijs egressi, ne periclitemur, ad ipsa cõmodũ redeamus. Funes etiã græcè, ut dixi, χοινία neutro genere dicuntur, ut est notissimũ illud ex Aristophane, χοίνιον μεμιλωμένον, hoc est, miniatus funiculus. Item χοίνοι masculino, unde sunt deriuata χοινίσκοι & χοίνισμα. Hinc & χοινοβάτης qui per funes graditur, quẽ Latini modo funãbulũ, modo funerepũ transtulerunt: unde & χοινοπλόκος, ut paulò antè diximus, funarius artifex, id est, restio: omniaq; hæc deriuata uidentur à iũco scirpoue, ex quo nõ modo funes, sed & uela aliaq; fiunt, qui græcè dicitur χοίνος, ut

etiã ex Pli. recitauimus. Sanè schoenus
 etiã genus est mēsuræ terrę uel itineris
 apud Persas & Ægyptios, quale est a
 pud nos stadiũ uel miliarĩũ, apud Assy
 rios parasanga & astarus, qua in re, ne
 te pluribus morer, Euthymus in psal
 mo cxxxviiij, quo loco nostri uerte
 runt, Semitam meam & funiculũ meũ
 inuestigasti. quod erat græcè, *ῥίβον μὲν ἢ
 πλὴν χοῖνον μὲν σὺ δὲ χιλιὰς*. Schoenus, inquit,
 apud Ægyptios atque Persas itineris
 mensura est, & idem ferè quod apud
 nos dicitur stadium. Hæc ille. Hæc ue
 ro dictio in sacra historia frequens. Pli
 nius quidẽ lib. v. schoenon facere sta
 dia xxx. prodit. Lib. uero xij. nõni
 hil uariare uidetur. Græcorũ nonnulli
 l. stadia. Herodotus in ij. lx. stadia cõ
 ficere prodidit, nisi codex sit mendo
 sus. Significat & alia schoenus: nã Hip
 pocrati, teste Galeno, scillam cepam,
 alijs rei medicæ scriptoribus iuncum
 odoratum. Est & loci & uiri nomen.

χίνθ uero lentiscū denotat, quod mul-
 tis causa fuit ut cōfunderēt. Sed ipsi no-
 stra sequamur. Dicunt & funes quib.
 naues religantur, ut notat apud Lyco-
 phronē Isaacius, οἶσα, uel ut Ionice dicit
 οὐσα, πρὸς τὸ οἶω, qd defero & porto signifi-
 cat. uel οἶσα dicit ἀπὸ τῆς οἰσίας arbore, id
 est, salice uel uimine: nā & restes uimi-
 neos & antiquitus factos, & nostra æ-
 tate aliquando fieri uidemus. Alij œ-
 sam ἀπὸ τῆς οἰσίας dictam uolūt, quo uo-
 cabulo gręci uiticē significant, hoc est,
 agnum castum, qui &, quòd ex eo uin-
 cula & ligamenta fiant, teste Polluce
 atq; Dioscoride, λύνθ uocat: & si Dio-
 scoridi ipsi standum est, salix amerina
 à Latinis uocatur. Confuse utiq; legas
 interdum œsya pro œsia, propter lite-
 rarū affinitatē: ab hac enim œsinæ uir-
 gæ, ab illa œsrynæ gerræ, hoc est, tugu-
 riola, & gurgustiola craticea, unde œ-
 syoploci, quos œsyurgos uocat Eupri-
 lis poëta, ut est apud Pollucē. Vocatur

tur & οἰδοῦσα funes. Sedenim & ex loris
 & ijs nōnunq̄; tortis, nauigiorū funes
 apud Priscos factitatos legimus, ut cū
 alibi, tum eo Homeri carmine, quod
 nos ita uertimus: Candida uela tra-
 hunt contortis undiq̄; loris. hoc est,
 ἑλικω δ' ἰσία λουκὰ ἐϋστρέπῃσι βόεσι. Lorū
 tamen & himas dicitur, quanquam et
 λωρομ. Sunt & funes quos Græci uocāt
 thominges, & mermides, & merin-
 thos. Non satis liquet an thominges
 sint quos nostri tomices uocant. Sunt
 enim tomices græco quidem nomine
 appellatę, ex cannabe impolito & spar-
 to leuiter tortæ restes, ex quo funes
 fiunt. Vitruuius lib. vii. Et binas inter
 eos perticas erigemus, tomicibus alli-
 gatas. Columella lib. xij. Deinde fasci-
 culos tomice palmea aut iuncea liga-
 to. Plinius lib. xvij. cap. x. Sic & spinas
 sepis causa ferunt, tomice moris spina-
 rum circūlita. Quo loco Hermolaus,
 tomicis nomen esse deflexum à græco,
 sed

sed aspirationē non retinuisse. Piscato-
 rius uero funis ex setis hormia uocat̃.
 Haftenus de funib. Nunc ne quid
 nauigio desit, de saburra agendū. Cō-
 fueuerunt nauit̃e saburra, quę crassior
 ac uilior est arena, naues onerare ad
 certam usq; mensuram, ut stabili ma-
 gis cursu agantur. Id cum poēt̃e, tum
 historici manifestē declarant. Verg.
 iiii. Georg. de apibus. Et sæpe lapil-
 los . . . Vt cymbæ instabilis fluctu ia-
 ctante saburrã Tollunt. . . Liuius de
 bello Maced. Et onerarias ducere mul-
 ta saburra grauatas. Sed de saburra ui-
 de Hermolai lexicon. Saburra, inquit,
 propriē quidem nauium est, ex quacūq;
 materia, sed fabulū ferē significat, & re-
 liqua quę ad naues parū pertinet. Nūc
 uero iam contractis uelis funibusq; re-
 ductis, nauium ornamenta explicemus.



De nauigiorū ornamentis. Cap. xvi.
 Xcogitatae, nec minus quā
 in ædibus, sunt nauium orna-

menta, quæ ut hoc loco à nobis com-
 memorentur, & ordo & tempus mo-
 net, etsi eorum pleraque ad aliarum
 quoq; rerum ornamenta referuntur,
 quorū quædam in Ptolemæi & Hiero-
 nis nauibus antè retulimus, sed quæ il-
 lic non attigimus hic proferenda. Est
 ergo, ut ab hoc ordiamur q̄d ex Casij
 sententia refert Vlpianus, inter orna-
 mentum & instrumentū magna diffe-
 rentia. Instrumenta quippe ad tutelam
 pertinent, ornamenta ad uoluptatem;
 quanquam hic ego non ita anxie rem
 obseruauī. Sunt igitur in primis & in
 uniuersum amplustria omnia nauū or-
 namenta, dicta, ut nōnulli uolunt, ab
 æ priuatiua particula, & πλέω, quod est
 nauigo: uel à πλῆς, quæ uox nauigatio-
 nem significat. Sed si Sex. Pompeium
 audiamus, amplustria dicuntur, quod
 amplius sint. Eius hæc sunt uerba, ut
 in castigatiorib. codicibus legunt: Am-
 plustria nauium ornamenta, quæ quia
 erant

erant amplius quàm essent necessaria, usu etiam amplustria dicebantur. Grammaticus etiã Priscianus amplustria dicere uidetur. Fuit cum ego aplustra dicta crediderim quasi aphlasta, nunc temerè nihil statuo, cum uaria huius dictionis prima syllaba inueniatur, ut apud Lucretium, Ciceronẽ in Arateis, Silium, Iuvenalem, Manlium, Lucanum, Sidoniũ. Sanè sciendũ modo amplustra & amplustria, modo aplustra & aplustria, hoc est, trium & quatuor syllabarũ, & quod magis mirũ est, prima correpta, propter liquidã. Cicero:

Nauibus assumptis fluitantia quærere aplustra. Eodem modo Lucretius. Legi nuper in cõmentarijs nescio cuius, aplustra summas uelorum partes uocari: quod, cum autoritate antiquorum non fulciatur, parũ mihi persuasum. Videntur et ἀμϑυστρία ornãmẽta esse, quę circum naues adhibentur uti apud Artemidorũ in quarto de inter-

pretatione fomniorū ad filium. καὶ τὰ,
 inquit, ἀμφιμετρία τῆς νεὸς ἔστω. et, inquit,
 amphimetria navis euulsit. Phauori-
 nus putat esse quæ adhibentur utrinque
 navis carinæ. Segestria, teste Pompeio
 Festo, pelles sunt nauticæ, quæ δ' ὀπίθλα
 dicuntur græcè, ut idem Festus & Pol-
 lux tradunt. Varro segestria dicta in-
 nuit à segete: ita enim scribit in libris
 de lingua lat. Quod ferè, inquit, stra-
 menta erāt è segete, segestria appellāt,
 ut etiam nunc in castris, nisi à Græcis
 ὀπίθλα. Meminit & idem Varro in li-
 bris de uita pop. Rom. ut est apud No-
 nium Marcellū. Ascoma, pelles quæ
 scalmo adhiberi solet. Theophilus as-
 sutam pellem ait scalmo, ad repellen-
 dam aquam maris. Meminit & Iulius
 Pollux. Suidas lorū putauit cōtinens
 remum scalmo annexum. Diphthe-
 ras etiam nauib. adhibet Pollux & Sui-
 das, easdemque ferè facit quæ modo re-
 tulimus ascomata, in quib. & scripsisse
 ali-

aliquādo proditores thoracyon ait & hermiona. Grāmatici quidā diphtheran pastorale indumentū esse scribūt. Attici uero eam esse uestem que & isalce uocatur, qua quoniam magistri literarum uti consueuerant, à Græcis aliquādo diphtheralœphi nūcupati sunt. Sed de diphthera loquēs in primis audiendus est M. Varro, qui de re rust. lib. ij. Cossiniū sic loquentem facit. Ut fructū, inquit, ouis è lana ad uestimentum, sic capra pilos administrat ad usum nauticū, & ad bellica tormenta & fabrilia uasa: neq; non quædam nationes harum pellibus sunt uestitæ, ut in Getulia & Sardinia, cuius usum apud antiquos quoque Græcos fuisse apparet, quod in tragœdijs senes ab hac pelle uocantur diphtheriæ. Et hucusque Varro. Quidam etiam Βαίτην diphtherian uocant, pellemq; esse scribunt Amaltheæ capræ, in qua res humanas scribere dicitur Iupiter. Diphtheræ me-

minit & Hammonius grammaticus, qui ait diphtheran à malote differre, quod hæc scilicet sit ouis pellis, hoc est, *μυλωτή*, illa uero caprarū. Idem & Moscopulus. Hanc quidē Verg. in Geor. describere uidetur, Varronisq̃ locum ut plerunq̃, æmulari: ita enim canit in iij. Nec minus interea barbas incanaq̃ menta Cinyphē tondent hirci, setasq̃ comantes, Usus in castrorū & miseris uelamina nautis. Quo loco Seruius & Probus grāmatici cilicia designari scribunt. Vident̃ uero diphtheræ & cilicia idem esse: sic & hodie ferè uulgus nauticū appellat. Cilicia Celsus ait retulisse Varronem ideo sic appellari, quod usus eorum in Cilicia ortus est. Idem scribit & Seruius. Varronis uerba quibus id cōprobat̃, in calce sunt secundi de re rust. dialogi: Quod magnis, inquit, uillis sunt capræ, scilicet in magna parte Phrygiæ, unde cilicia & cætera eius generis solent fieri. Sed

ri. Sed quod primū ea tonsura in Cilicia sit instituta, nomen id cilicas adiecisse dicunt. Meminit & Asc. Pædianus in Verr. & Vegetius in lib. de re militari. Addit amplius Suidas, quod sint in Cilicia hirci ualde pilosi. Porro ne quid omittamus, & ex diphtheris rates cōfectas fuisse, testis est Xenophon anabaseos lib. ij. de Cenis fluuio agēs, ὃς ἦς, αἰτ, οἱ βαρβάροι στήνον ὑπὸ χεστίας σφθόρων, ἀρτος, τυρόν, οἶνον. que uerba amicus meus ita conuertit: Ex qua barbari coriaceis ratibus, panem, caseum, uinū in castra cōuehebant. Est & phormion nomen straminis nautici, ut Donatus obseruat, & significat tegeticulam qua pauimentū sternitur: uel lectum sparteū, à quo nomine Apollodorus comicus parasitū, Terentius uero noster fabulam nūcupauit. Phormionis certè pro storia & tegete, et Vlpianus Iuriscons. ut Modestinus ait, meminit in ff. tit. de fund. instru. & instr. leg. Deducta hæc

uox uidetur à *φρομῶν*, quæ spartā & stori-
 riam seu tegetem significat, qua de re
 multa Græci Suid. & Pausanias, item
 Herodotus. A phormo, phormion &
 phormiscus, diminutiuiorum forma.
 Fiunt & ex papyro tegetes, ut alibi scri-
 psimus, & ex iuncis, in usum nauticū.
 Sed & ex palmarū folijs, earūq; in pri-
 mis quæ humiles dicuntur, & folio sunt
 latiore, ac molliore, ut Theophrastus
 ait. Proueniunt uero cū in Creta, tum
 plurimæ in Sicilia. Sunt & nauium orna-
 menta præterea aulæa, tapetes, peri-
 stromata, peripetasmata, eius generis
 cætera, quæ ad alia quoq; referuntur.
 Catastroma quidē superius est nauis
 tegumentū seu pauimentum, cuius a-
 pud Thucydidem mentio, ut alios mit-
 tam; unde appellatę cataphractę & em-
 phractæ naues, quæ tum à nostris con-
 stratæ tum tectæ uocantur; ut contra
 apertæ, quæ à Græcis aphractæ dictæ
 sunt, de quibus alibi, hoc est, inter na-

uium uocabula. Ecatastromate propugnatores depugnare solitos, ex scriptoribus colligimus. Quidam (quàm sanè nescio) catastromata foros esse opinati sunt. Corymbis etiam naues ornatas legimus, id quod uel ex his Flacci Val. facile quimus cognoscere. Et auratis Argo reditura corymbis. Idem alibi: Et extremis tamen increpuere corymbis. etsi corymbon græcè nauis rostrū appellat, unde & acrocorymba ipsarum nauium ornamenta, ut in lexico tradit Theophilus. Corymbos uero Suidas interpretatur ramorum summitates & partes extremas, id quod & græco epigrammate confirmatur. Alij corymba uocant acrostolia nauium uelut coryphas, id est, uertices, quæ addi & adimi possunt. Legimus in græcorum commentarijs, corymba differre ab aphlastis, quorum in nauium membris meminimus, quòd aphlasta quidē in puppi, corymba uero in pro-

ra: hoc est, ἀφλασα μὲν λέγοντες τὰ πρυμνήσια,
 κώρυμβα δὲ, τὰ πρωρρήσια. Sedenim & extre-
 ma, ac rerū summa, corymba aliquan-
 do appellata uidemus: nempe montis
 uerticem & iuga corymbum Herodo-
 tus uocauit. Nostri quidē corymbos
 hederarum baccas uuasue nūcupant,
 quibus Bacchus & Mænades corona-
 bantur apud gentes, ut ex poëtis liquet.
 Sunt qui corymbos nauium hederaceas
 coronas interpretentur, quæ nauibus
 adhiberi solerent, cum uel portū tene-
 rent, unde & illud poëtæ: Et nauitæ
 læti imposuere coronas. uel cum ex
 nauali pugna uictoria parta esset: qua
 ex re diuus Ambrosius in hexamero:
 Sed omnes, inquit, puppes quæ per-
 uectæ fuerint coronantur, ubi palma
 merces salutis, uictoria precium regres-
 sionis est. Coronatam insuper nauem
 philosophorum eximio obuiam misisse
 Syracusanorum tyrannum legimus. Ad
 hæc coronabantur naues apud Roma-

nos mense Iunio in Fortisfortunæ ce-
 lebritate, & per medium amnem cōui-
 uia ducebant, quod in vi. Fast. osten-
 dit Ouidius: Multa coronatæ iuue-
 num conuiuia lintres, Multaq; per
 medias uina bibantur aquas. Erant
 item nauales coronæ, quæ & rostratæ
 dicebantur, de quib. iam egimus. Co-
 ronem quoq; & coronida pro nauis or-
 namento desumi quidam arbitrantur,
 quòd rostris adhiberi soleret, cum de-
 mum perfecta ac consummata forent
 nauigia, *κωρώνης* quidem Aratus memi-
 nit cū de Argo canit: Cum iam nauis
 tæ conuertere coronem, hoc est, *ὄτις*
ἀπὸ τῆς ναυτικῆς ἐπιπέφωσι κωρώνη. Verum co-
 ronidis nos seu coronesuarium esse si-
 gnificatum cōperimus, quod te ne la-
 teat, hic breuib. subsignabo. Sūt quip-
 pe qui in arcu summū cornu, quod &
 tenuis uocari è Latinis quidam tradūt,
 crenémue in qua neruus imponit, uo-
 cari coronin uelint: quam ob causam,

ait Eustathius, bonum rerum finē pro-
 uerbialiter aureā coronin dictam in-
 uenimus. Sunt qui montis uerticem,
 & summā in ædificijs structurā signifi-
 care contendant. Alij nauis puppim,
 quod sit in eius apice curuatum corni-
 cis rostrum, ut interdum anserculi: un-
 de & Homerus *σὺν νηυσὶ κορωνίσσι*, quod
 exponūt grāmatici, cum nauib. flexas
 habentib. summitates. Alij nigras, qđ
 cornix auis sit nigra. Inuenitur & coro-
 nis posita pro extremo librorum orna-
 mento, unde & prouerbiū factum est,
ἐπιθεῖναι τὴν κορώνην, ἢ τὴν κορωνίδα, hoc est,
 imponere coronin: pro eo quod est, ex-
 tremam manū admouere, ad quod al-
 lusisse uideri potest Martialis libro x.
 Si nimius uideor feraq; coronide lon-
 gus Esse liber, legito pauca, libellus
 ero. Hoc modo Plutarchus in libro
 de Alexandri fortuna, de Philoxeno
 poëta agens, usus est. Philoxenus em̄
 Dionysij tragediam non correxit, sed
 totam

totam circunscripsit à principio ad coronida, hoc est, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος ποδείγραψεν. Alij coronida, ut est in cōmentarijs Aristophanis, signum ac notam quampiam esse opinātur, quæ poni soleat in fine librorū, quæ in semicirculi specie sursum sit repanda, ∪. Alij lineam breuem ab inferiore parte inflexā huiuscemodi L. Hac etiā nota antiqui in fabulis, comedijs & tragedijs, ut Phavorinus docet, & lyricis etiā carminib, usi sunt poëtæ, ut Hephæstion scribit, ubi de signis agit. Sed & theologi, ut est apud Nazianzenum & Isidorum, qui de huiusmodi notis & posituris, ut ipse uocat, cæteris copiosius scribit. De notis quidē Iurisperitorū, ¶ & ḡ Alciatus doctis, annotauit. At ne à nautica arte recedamus, Theon, seu qui alius, qui in Aratū poëtam græca scripsit cōmentaria, πρῶνην inflexum illud interpretatus est, quod est in nāuis puppi: unde & Homerus, inquit, uo-

car naues coronidas, *σὺν νηυσὶ κορωνίσι*, ut
 antè diximus. Aratus uero, *ὅταν δὲ ναῦ
 ταὶ ἐπιτρέψωσι κορώνην*. Apollonius in iij.
βοῆσι μαρῆσθε κορώνην ἰδύληθην. quãuis eo lo-
 ci cõmentator annulum iugis interpre-
 tetur. Eustathius etiam coronidas uo-
 cari rostratas naues ait. Sunt & qui sco-
 pon, & sectæ alicuius finem sic appel-
 lent, *οἶον κορώνην τῆς σοφίας*. qua similitudi-
 ne & Plutarchus uite coronin dixit, in
 eo qui inscribitur, an seni administran-
 da sit respub. Sunt quoq; qui amplius
 scribant, *κορώνην* extremam pudendi uí-
 rilis glandem significare, & ianuxæ insu-
 per annulum, quo & clauduntur & im-
 pelluntur fores. Est & *κορώνη*, id est, cor-
 nix auis notissima, cuius uaria apud
 Ouidium fabula. Atq; hæc de corone
 & coronide, quæ aliàs obseruaram, q̄
 breuissime potui, hic tibi subsignare
 placuit. Vocant & Græci *ζωμόματα*,
 quæcunq; nauis conducunt & utilia sunt,
 ligna, cera, pix. Alij & *hypoζοματα*,
 quæ

quæ ligna nauium sunt. atq; de his satis.

Restat in huius capituli calce duo præterea ut afferam, quid sit pharus, & quæ essent leges Rhodiæ, quæ duo ad rem nauticam pertinent. Pharus igitur turris est quæ construi solet in maritimis portuosus locis, ad præstanda nocturnis temporibus nautis lumina, unde & nomen acceperunt. Scribit quippe Hegeſippus, à D. Ambrosio, ut creditur latinitate donatus, in iiiij. pharos quasi phanos, n in r mutata, dictam. Grammatici uero in Homerum ita uocatam aiunt, ἢ ἀντὶ τοῦ ἡλίου ἐφηνον, ἢ εἰς φῶς ἡγαγε, quòd uidelicet pro sole appareat, uel ad lumen agat. Describitur pharus à Plin. & Herodiano historico in Antonino & Ægeta. Suidas genere masculino etiam protulit, contra cæteri ferè fœmineo. Propertius: Et Ptolemææ littora capta phari. Lucanus: Pharos in fula quòdam In medio stetit illa mari. Papinius: Lumina noctiua

gæ tollit Pharus æmula lunæ. Sed enim quoniã Pharus Ægyptia omnium celebratissima, plerique ab ea reliquas pharos nuncupatas autumant, ut uel ex uno Plinio facile cognoscimus. Ea autem, ut plerique omnes existimant, ab insula eius nominis nuncupata creditur, quæ ante Alexandriam posita, quondam diei unius navigatione, ut ex Homero scribit Plinius, distabat, nunc, ut Strabo ait, peninsula, demum ab Iulio Cæsare colonia deducta, sic Solino tradente: Est et Pharos, inquit, colonia ex Cæsare dictatore deducta, ex qua facibus accensis nocturna dirigitur navigatio; nam Alexandria insidioso accessu aditur, fallacibus uadis, cæco mari, tribusque tantum canalibus admittit navigantes, Tegamo, Possidonio, Tauro, quod idem scribit Plinius. Subiungit Solinus: Hinc igitur in portibus machinas ad prælucendi ministerium fabricatas pharos dicunt. Stephanus uero & Suidas

Suidas pharon aiunt turrem cōditam à Softrato Cnidio Dexiphanis filio, Ptolemæi regis tempore. Strabo diligentis. scriptor libr. xvij. Sofstratum ipsum quidem ait regum amicū pharum turrem posuisse πολυόροφον, hoc est, multa tabulata habentem, & albo lapide cōstructam, cum hac inscriptione: Σώστρατῶ κνίδιῳ Δεξιφάνους θεοῖς σωτήρησιν, ὑπὲρ τῶν πλωιζομένων, hoc est, Softratus Cnidius Dexiphanis, deis seruatoribus, pro nauigantibus. Quæ congruūt ijs quæ Plinius lib. xxxvi. natur. hist. scripsit. Magnificatur, inquit, & alia turris à rege facta in insula Pharo portū obtinente Alexandria, quam constitisse DCCC. talentis tradunt, magno animo (ne quid omittamus) Ptolemei regis, quod in ea permiserit Softrati Dexiphanis architecti structuræ ipsius nomen inscribi. Vsus eius nocturno nautarum cursui ignes ostendere ad prænūcianda uada, portusq; introi

tum: sicut iam tales compluribus locis
 flagrāt, ut Puteolis, ac Rauennę, ad ui
 tandum periculum, & reliq. Dicta qui
 dem insula Pharos, præter id quod an
 tè retulimus, ut Stephanus ait, à Pha
 ro nauta Menelai, qui à serpente mor
 sus ibi sepultus sit: sicut & Canopus à
 Canobo eiusdem ipsius Menelai gu
 bernatore. Suidas quoq; & Homerus
 Pharon Protei insulã nuncupant; quo
 niã ibi Proteus regnauit. Idem est ab
 Ammiano Marcellino proditum lib.
 xxij. hist. Insula, inquit, Pharos, ubi
 Proteũ cum Phocarũ gregib. diuersa
 tum Homerus fabulatur. Mox & sub
 iungit, eam fuisse Rhodiorũ obnoxia
 uectigali, sed foeminae callidæ semper
 in fraudes miro artificio liberatã: nam
 cum nimium petitori publicani illuc ac
 celsissent, & solennes instarent feriæ,
 eos secum regina in suburbana perdu
 xit, septemque interea diebus septem
 maris stadia, iactis molibus irrequieto
 labore

labore infulam continenti coniunxit, ita ut quâ mare fuerat uehiculo ingrederetur: atq; ita Rhodios frustrata est, infularum, inquit, portorium flagitatis, non continentis. Sed de Pharo iam nimis multa. Fuit & altera Pharos in sinu Adriatico, Straboni in iij. Alterû quod polliciti sumus, leges sunt Rhodiæ, quæ de tota re nautica præcipiebant, de quibus sic in decretis canonicis scribitur: Rhodiæ leges naualium cõmerciorû sunt ab insula Rhodo cognominatæ, in qua antiquitus mercatorum usus fuit. Harû meminit & Tertullianus lib. aduersus Marcionẽ hæresiarchã, qui ponticus nauta fuerat. Scilicet, inquit, nauclero illi non quidem Rhodia lex, sed pontica cauerat. Est et lex Rhodia $\pi\omicron\delta\epsilon\iota\ \tau\eta\varsigma\ \epsilon\kappa\beta\omicron\lambda\eta\varsigma$, hoc est, de iactu, ut est in ff. qua, ut Papinianus ait, cauetur, ut si leuandæ nauis gratia iactus mercium factus est, omnium contributione farciat, quod pro omnib. da-

tum. Hanc uero iniquissimā legē hoc tempore etiam ipsi legum interpretes appellant. Quin & Canonici iuris ac pontificij periti eam diris prosequuntur. Extant & aliæ de re nautica leges, ut de nauicularijs, de usuris nauticis, seu nautico fœnore, de naufragijs. Citantur & à rhetoribus Hermogene & Fortunatiano alię leges, ut illa, Qui nauim in periculo positā rexerit, eius sit nauis cū onere. Et qui nauē reliquerit, is nauim & onus amittet. Item: Naufragia ad publicanos pertineant.

A quibus rebus sint nauibus indita nomina. Cap. xvii.

Riusquam nauium multiplicem nominū syluam patefaciam, uariasq; earum appellationes, illud etiam obseruandū occurrit, eas ab ijs plerunq; in quibus exercentur officijs, uocabula sortitas esse; ut sunt speculatoriæ, piscatorię, mercatorię, & quæ apud Plaut. geraria uocata est.

ta est. Nominatur & sæpissime à locis, uel ubi ædificatæ uel inuenta, uel in usu frequētius habitæ, ut Ægyptiæ, Liburnicæ, Naucraticę, Salaminia, Tuderina, & quarū modo meminimus, Rhodiæ, Sunt & Sidoniæ, & Punicæ, sunt Babyloniæ, Italiotides, & Same-nę. Sunt item Iſiaci lembi, ut est apud Liuium. Sunt & Naxiurges, & Cnidiurges, & Cercuri, & aliæ penè innumera-biles, de quibus nonnullis suis locis agemus, (sunt enim fermè quot loca maritima.) Est & quę à poëtis pagasea dicitur. Sunt & quæ ab artificibus no-men duxerūt, ut Argo, Phereclea, Ni-comedis, Paralus, aliæ. Sunt & quæ à magistratibus, & ab ijs qui præfunt uo-catæ sunt, ut prætoria, quæ & nauar-chis dicit, & imperatoria, id est *σπαρτυρίς*. Appellant item naues à remorū ordi-nibus, ut biremis, triremis, trieris, pen-teris, & hexeres, & hepteres, nō gręcis modo, sed & latinis autorib, & in pri-

mis Liuius. Vocitantur & naues à nauiga-
 tionis cursu, ut dromones, cursorie, ce-
 letes & celetia. Item à reb. quæ in ipsis
 deuehuntur, ut hippagines, et hippago-
 ge, quæ et hippagi Sex. Põpeio dicuntur,
 & sitagogi, & saccarie apud Fab. Quin-
 tilianum, et quæ annotine ab annona de-
 uehenda nomẽ habere putantur, quarum
 mentio apud Cæs. in cõment. Hæ item
 frumentarie appellatæ. Aliæ uel à uasis
 uel eorum forma nuncupatæ, ut gaulus,
 cymba, corbita. Nonnullæ à pictura uel
 insigni uel $\pi\delta\alpha\sigma\acute{\eta}\mu\omega$, ut pistris uel priftis,
 centaurus, miltopariæ. Aliquæ à for-
 ma & specie, ut cameræ, aulonæ, thala-
 megi, & quas hoc tẽpore Sandalos uo-
 cant. Aliæ ab animalib. appellantur, ut
 crij, tragi, tauri. Quædam à materia, ut
 trabicæ, monoxyli, alni, pinus. A deis
 etiã in ijs presidentibus, ut Isidis, Apol-
 linis, Tritoniæ, quæ insignia tamen pu-
 tarim, ut etiã crij & tragi. Sũt præterea
 quæ ab eius eminentiori parte nomen
 sumpse.

sumpsere, ut rostrate, coronides, turritæ. Sunt & à numero, ut cētenarię, myriaphori, myriagogi, εικόσσορος ναῦς, cuius Theophilus præter alios meminit. Ab instrumentis demū quib. muniuntur naues appellantur, ut turrite, delphinophori, ut falcatae, quales describit Cæsar cōtra Venetos. Et trocheliophora nauis, quę uocari uidetur ab Halicarnas. Dionys. lib. Rom. antiquit. iij. his uerbis de Tyberis ostio agenti: Naues, inquit, actuarię quocumq; adesse aliquando cōtigit, atq; ex onerarijs usq; ad trocheliophoram per ostiū eius intrant. Sed cum gręci exemplaris copia mihi ad presens nō suppetat, quid dicā aliud nescio, nisi qđ hoc nomen nō succurrit alibi legisse, nisi quis fortē trocheliophorū legat à τροχίλω, de quo in mali partib. actū est, & quod τροχαιτήρες partes ait ad nauis puppim Phauorinus. Fuerat quoq; animus hoc tibi loco adscribere, quę sint nauigationi idoneę tēpe

states, quæ uel aduersæ: sed cū eæ sint nō modo ab astrologis, sed & rei militaris & rusticæ scriptoribus literarū monumentis diligentissimè mandatæ, non hic ea repetere uisum est. Sed & illud fuerat in animo afferre, quatenus hominum notitiæ orbis ex nauigatione cognitus fuisset, eaq; præsertim afferre quæ Plin. ad sua usq; tempora lib. nat. hist. ij. cap. lxxix. cōmemorat. Verum cum me cū reputo, plurima adeo nostro tempore addita esse, ut si omnia quæ uel audiui ab ijs qui interfuerunt, uel quæ ab alijs scripto prodita sunt referre uelim, nō iam libellum, ut nos meditamur, cōscriberemus, sed ingēs & infinitum propè uolumen, quod tamen etiam à plerisq; factum est: quare ut ab illo, ita & ab hoc labore superse-
dendum duxi, meq; potius ad
singularia nauium uoca-
bula cōuertam.

Varia ac multiplicia nauigiorum uocabula. Cap. XVIII.



NVNC, ut à principio statim polliciti sumus, iam uaria nauigiorum uocabula colligamus, in quib. recensendis id mihi ignoscendū, si quid præterisse uisus fuero, grauiissimis, ut probè nosti, oppressus molestijs, atque adeò, ut uerendum sit ne dum naues cōstruo, quasi in portu, quod aiūt, naufragiū uite faciā. Quare si priscos accepimus cum nauigationē incepturi essent, deis suis uouere quæ cuiq; in mentē uenerant, id qd manifeste ostēdit Aristides Adrianeus orator in eius orationis exordio, quā de laudibus urbis Romæ cōscripsit, & Apollonius poëta cum Iasonē inducit preces & uota nuncupare Apolloni *ἐμβασιῶ* & *ἐπακτιῶ* cum nauim esset cōscensurus, & *ἐκβασιῶ* eidem Apollini descensurus: cur non ego nunc **CHRISTVM** precer infirmus, ut bonam faustamq; mi-

hi præstet nauigationem. Ergo adsis
 CHRISTE mihi præsentî tuo numine,
 qui discipulorũ nauiculas inter fluctus
 direxisti, desq; mihi superata ignoran-
 tię caligine, in portum sospitem incolu-
 memq; classem deducere.

Actus igit, ut ab hoc incipiã, genus
 est nauigij, à uerbo ἄγω ἄκτος, et α adiecta
 ἄκατος, uel, ut alij putant, quasi ἀπ' ἀκτῆς,
 hoc est, qd circa littora ferañ, unde etiã
 ἐπακτίς uocañ. Est autē actos genus na-
 uigij, ut scribit Theophilus: unde & e-
 pactis, quę & porthmis dicta est. Idem
 tamen alio loco πορθμῆιον ipsam appella-
 uit, ad amnes trañciendos idoneã, ex
 quo & naulum ipsum πορθμῆιον dicitur.
 πορθμὸς uero fretum significat, ut uel ex
 Mela Pomponio notũ. Sunt qui ean-
 dem epactin & carabon dicant, unde
 forma hypocoristica καράβιον à Græcis
 deducitur, ex quo nunc uulgò carabel-
 læ uocitata. Sed & ab ἐπακτίς alia nauigij
 species facta est, quę ἐπακτιφοκελίς uo-
 catur,

catur, quæ latronū ac piratarū esse traditur, quod idem Theophilus scribit & Suidas: duæ quippe in unum nauiculæ epactris & celes iunguntur, ut etiā infra dicemus. Verū ut ad acaton redeam, cuius & Aufonius illo trimetro meminit, Acatis, phaselis, lintribus, stlatis, rate. ab eo formatur diminutivum acation, quod actuarij genus est nauigij, cuius & noster Plinius in nono meminit, ut castigat Hermolaus. Meminit & Oppianus, ubi de nauilo pisce loquitur. Meminit & acatij Plutar. & Tertullianus in Marcionem. Suidas acation ait genus esse piscatorie nauis. Acation Thucydides uocauit amphericon in iij. Meminit ampherici & Suid. & græca in Thucydidem scholia, quæ scribunt illud ideo dici, qd remigatiū quilibet duob. remis uteretur: hoc est, ambireme, si latine liceat. Torquet me interdū scriptorū uarietas, ut quo quancq; nauē nomine

appellem, ambigã, & plerũq; nesciã, ut
 est de hoc acatio, de quo nobis in præ-
 sentia sermo est; eo enim nomine Cæ-
 saris nauem Plutar. uocat, cum apud
 Pharum Alexandria enataret. Tran-
 quillus uero eandem historiã tractãs,
 scapham, Hirtius nauigium nominat;
 quo fit ut fatius duxerim sæpius græ-
 cis uti uocabulis in tanta autorum ua-
 rietate, & eò maxime, cum alioqui eru-
 ditos hac in re hallucinari uideam, &
 Cimmerijs, quod aiũt, tenebris inuol-
 uĩ; atque ideo hoc te loco monere uo-
 lui, ne fortassis admiratione afficerere,
 si græcis ipsis nominib. frequentius u-
 tor. Ad institutum redeo. Pollux & Isi-
 dorus, ut pridẽ ostendimus, nauis ue-
 lum maximũ acatiõn uocant. Sed nec
 illud omittendũ, quod Procopius lib.
 iij. achaten nauis genus facere uideĩ;
 quod cum ita sit, non uidetur antiqua
 Plin. lectio interpolanda, ut sit ab Her-
 molao, quæ ita habet; Conchamacha-
 tæ mo-

tæ modo carinatam. Procopij hæc uerba à me expressa: Naues quæ à Grecis achatae uocitantur, fabricatas, & eas quidem apertas, longurijis cõnexuit. Meminit idem autor & alibi.

Actuariæ naues celeres dicuntur, ut ait Nonius, quod citò agi possunt, uel ut alij, quod remis agantur. Isidorus tamen & alij nõnulli grãmatici, quod uelis simul & remis aguntur. Meminit & Gell. Sunt qui *πρόπλευς* uel *ἐπακρίδας*, uel ut alij legunt apud Gelliũ, *ἐπιπαραλίς*, quod scilicet propter littora agantur. M. Tullius ad Atticum actuariolas uocat. Est et in hoc genere actuariarũ *κωπήρης*, quæ remo aguntur, quarũ mentio est apud Plutarchum & Thucydidem in iij. à remis nomen inflexum est. Dicuntur & actuaria genere neutro, ut ex Cicero colligimus & Cæsare, qui ait in primo bell. ciuil. Atq; ijs expedito loco actuaria nauigia reliquit. Cic. ad Atticum lib. x. Quid duro tempore anni

actuaria fore censes?

Alueus inter cætera quæ significat, quæ à grāmaticis collecta sunt, & à nobis inter uasa repetita, interdū etiā pro nauigio rudi, & quocūq; modo confecto capiūt. T. Liuius lib. i. de Romulo et Remo: Tenet, inquit, fama, cum fluitantē alueū, quo expositi erāt pueri, tenuis in sicco aqua destituisse; lupam sitientē ex mōtib. qui circa sunt, ad puerilem uagitū cursum flexisse. Quē alueum hoc loco Liuius, scapham Plutarchus uocat. Propertius poëta: Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina, Portabat sanctos alueus ille uiros. Sallust. in Jugurtha: Hicq; alueos nauū inuersos pro tugurijs habuere. Hinc pro monoxylo apud auctores alueus desumitur.

Aulonæ naues sunt apud Ethicum Histriū, quę in aulae formā constructæ sunt, non fortassis his dissimiles; quas patrio sermone nostrates bucētauros uocant.

uocāt. Ethici uerba sunt hæc: Ob hoc, inquit, aulonās nūcupauit, uelut maris, aut amnium palatia.

Autocabdalos nauis à Græcis dicit̃, & autoschedios rudis, & quæ subito & ex tempore facta est. Theophilus quidē & Suidas de polenta id uocabulū dici prodiderūt, ut primū ex farina cōfecta est. Idem repetit Phauorinus.

Barcas naues, lamijs nauibus non esse similes, Ethicus Hister autor est. Harū & Herodotus meminīt in Terpsichore. Hodie quoq; hoc ferè nomine nūcupant̃ uulgò Græcis æquè atq; Italis. Sunt qui ab urbe Barce cognominatas putent. De his utiq; sic Isidorus: Barca, inquit, est quæ cūcta nauis cōmercia ad littus portat: hanc nauis in pelago propter nimias undas suo suscipit gremio, ubi autem portui appropinquauerit, reddit uicem barca nauis, quam accepit in pelago.

Baris nauigij genus apud Ægy-

ptios, ut scribit Ammonius. Huius & alibi meminimus. A Grecis etiã nũ epithra nominatũ, etsi scalas etiã nauticas ἐπιβάθρα significat. Sed et ἐπιβάθρη pro nauulo & mercede ascendende nauis capitur, quo modo apud Apoll. in Argon. interpretes & Phauorinus exponunt. De bari uero nauĩ cum alijs, tum Diodorus & Herodotus meminere, & Propertius illo uersiculo: Baridos & contis rostra liburna sequi. In græcis βαλεις & alia multa significat, quæ nõ sunt nostri instituti.

Byrsopages nauis è corio cõpacta, cuius & alibi est facta mentio.

Camerae genus nauigiũ, acation uocat in xi. Strabo, lembum uertit interpret. Arctæ uero sunt naues & exiles, ut idem scribit. Iis utuntur Heniochi populi, et Bosporani Cimmeriũ, ut plurimũ latrocinantes. Capaces hæc sunt xxv. hominũ, & xxx. ad summũ. Describunt quidã cameræ à Cor. Tac. lib.

lib. hist. xix. Cum em̄ de Trapezunte urbe pontica ab Aniceto liberto capta ageret, ita ait: Quin & barbari cōtemptim uagabant̄, fabricatis repēte nauibus, quas cameras uocant, arctis lateribus, latā aluū sine uinculo eris aut ferri cōnexā, & tumido mari prout fluctib. attollit̄. Summa nauū tabulis augent, donec in modum tecti claudantur: sic inter undas uoluunt̄, pari utrinq; pro ra & mutabili remigio, quādo hinc uel illinc appellere indiscretū & innoxīū est. Atq; hęc quidem ille. Sedenim ab his ferē diuersam scribit Ethicus Histor cameraā, qui ob hoc eam ita nuncupatam ait, quod camelorum more in medio curuo colcherio (ut eius uerbo) quasi cameli gibbum, fenestras obliquas & modicas ad uentorū receptacula haberet, camera sursum confuta, unde nomē, corijs magnis cōiunctis. Ea nauī primum usus est Cecrops, ut idem est autor, qui & alia ple

raque superaddit, quæ hic ego breuitatis causa omisi.

Carinam quoque nauim idem Ethicus existimat, dictamque ait quasi curri-
nam : cum alij scriptores non nauem eam
esse, sed nauis fundum prodant, ut an-
te docuimus.

Cataphractarum nauium apud utriusque
linguæ scriptores crebra mentio: ita ue-
ro appellantur quæ in prælijs nauali-
bus obteguntur obarmanturque, ne ab
hostibus facile ledi queant. Has quidem
Latini tectas uocant naues, quarum fre-
quens mentio. Cæsar de bell. ciuil. Mas-
silienses usi L. Domitij consilio, naues
longas expediunt, numero xvij. qua-
rum erant xi. tectæ. Dicuntur & constrata
ab eodem Cæsar, et Cic. Hirtius: Ma-
gnoque, inquit, impetu quatuor ad eam
constratae naues & plures apertae con-
tenderunt. Et cum his emphracta na-
uigia reponemus, quæ & ipse quod un-
dicque tectæ sint, πρὸς τὸ ἐμφρακτῶν deriuantur:

sicuti

sicuti è cōtrario aphracta, quæ aperta à Latinis uocantur. Hoc nauium genere in primis Rhodios usos legimus. M. Cicero in epistolis ad Atticū: Nos Rhodiorū, inquit, aphractis cæterisq̃ longis nauibus trāquillitates aucupaturi eramus. Meminit idem alibi, nec semel in eisdem epistolis: ex quibus locis facile colligimus, minus eas maris procellosi fluctus perferre posse. Pro aphractis tamen in quibusdā uetustis exemplarib. acta legi cōspicimus, quā lectionē & fortassis aliquis nō aspernetur; ἀκτος enim nauigiū genus pridem diximus. Emphractorū uero Iuriscōsultus in tit. de exercitatoria act. meminit, quo loco passim emphatae mēdose legit. Vlpiani uerba hæc sunt: Quædā em naues onerariæ, quædam, ut ipsi dicunt, emphractæ sunt. quo in loco, ut solent, delirant interpretes. Budæus tamē uir eruditiss. embatae uel epibate reponi posse existimat, sed cuius id fulciat

autoritate, ingenuè se non habere fate-
 tur. Alius Budæi, ut puto, uestigijs in-
 nitens, ἐπιβάδες seu ἐπιβατίδες castigat, ut
 uectoria nauigia significet: uerum nec
 ipse testes, ut solet, magnos hac in re
 affert, & perinde minus probat. Nec
 me quoque fugit alios magna magnis
 uoluminib. promittentes, adeò in hac
 Budei uocè embate delirasse, ut etiam
 Iuriscōsulti uerba Plinio attribuerint.
 Iam ad nostra redeo. Tectasnaues lon-
 gas à Thasijs repertas antè diximus.
 T. Liuius, & Hirtius, alijsq̃ scriptores
 Latini, tectarum & apertarum nauium
 frequentius meminere. Hinc etiam
 Græci nauphracton classem ad præ-
 lium instructam appellarunt. Solent
 etiam in triremib. ampla quædã adhi-
 beri foramina oculorũ instar, quæ &
 nauphracta dicuntur, per quæ remi in-
 serunt, ut Suid. ait. Aristophanes in fa-
 bula Acharn. Tu per deos nauphra-
 cton inspectas homo, hoc est, ut ipse
 ait,

ait, πρὸς τῶν θεῶν ἀνθρώπων ναυφρακτοῦ βλέπει.
 Est em̄ ænigma, nauphractū uides, de
 ijs qui latè uidēt. ut planius in enigma
 tōn libello, ad Picū pridē scripsimus.

Canea genus nauis apud Indos per
 exiguū, excisum, cauatumq̄, ex unico
 arboris trunco, duorū uel trium homi
 num capax. Sunt qui id quasi ex cau
 dice & factum & dictū autumant. Sed
 planè uox est Indica, sicut & iunca, q̄d
 nauigium est ex palmarū folijs sutum,
 ut diximus. Vtroq̄ quidem Indicæ &
 barbaræ nationes hodie uti tradunt,
 quod Lusitani ac Hispani nauæ pari
 uoce testantur. Quidam & canoam et
 caneam eandem statuunt.

Cantharus genus est nauigij à ua
 se, ut ego quidem facile crediderim, ap
 pellatum. Nauigij quidem Suidas &
 Aristophanis interpretes meminere.
 Suidæ hæc uerba: Canthari nauigia
 naxiurges dicta, quod in Naxo facta
 sint, ut nūc σιλφας uocāt. Acatiorū uero

speciem quandā habere Cratinus ait, eo quod aliquādo mari Naxij imperitarunt, et ipsis usi sunt cantharis. Subdit idem, nauium appellationes factas ab ijs in quibus repertæ sunt urbibus, ut quos nunc lembos, naxiurges uocabant. Eadem & causa cnidiurges naues Cnidiaæ, & cercyrā à Corcyra, & à Paro paron. Hæc ergo ille, quē secuti sunt Phauorinus et Aristoph. interpretes. Porro & cantharus alia significat, quæ tum græci tum nostri explicuere.

Chalcembolon nauigiū uocāt Græci cuius gratū sit rostrū, & quod purgationi aptum est. Rostrum quoq; nauis masculino genere interdum chalcembolus uocatur, ut antè diximus.

Cataplus genus est nauigij mercatorij. Val. Martial. in xij. Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus. et Auson. de Narbone: Per freta cursu Aduenit, toto tibi nauigat orbe cataplus. Ea uoce usus est & Sidonius Apollinaris.

ris. Iulius quidem Pollux pro navigatione ipsa in i. lib. desumere uidetur, et cum eo græci historici, inter quos Xenophon primo Hellenicôn, ne te pluribus onerem.

Capulicæ seu caupulicæ naues sunt apud Gell. à capuli forma, uel à capiendo denominatæ. Cattæ, nuçtaciæ, uel nuçtucię, et medię, nauium genera apud A. Gellium, etsi in plerisque Gellij codicibus perperam legantur. Mediæ quidem à Medis populis inuentæ creduntur. Midion Põpeius in myoparone memorat. Videor opere precium facturus, si uerba Gell. hoc loco adscripsero quo potero castigatiora, ne mihi sæpius citanda sint. Sunt ergo hæc ex lib. x. cap. xxv. Nauium autem, inquit, quas reminisci tunc potuimus appellatiõeshæ sunt: gauli, corbitę, caudicæ, longę, hippagines, cercuri, celoces, uel ut Græci dicunt κέλντος, lembus, ὠκείαι (uel ut alij legunt oxia) remunculi (uel potius lenun-

culi, etsi alij remeculi legere malint) actuariæ quas Græci ὀσοπύρας uocant (alij πρόπυρας uel ἑπακτίδας. Sunt qui castigent ἑπακτικέλητες βαρῆς) profumiæ, uel Geseorete (aliqui Gesorete) uel oriole (uel ut alij, oriaæ uel orioles) cattæ, scaphæ, pontones, nuçtuciæ, mediæ, phaselii, parones, myoparones, lintres, capulicæ (seu caupulicæ) mareplacidæ (seu marceplacidæ) cydari (Pollux cydari & cydali) ratariaæ (alij ratiariaæ) catafropiũ. Hæc ille totidem uerbis, addita diuersorum interpolatione.

Celox est nauigium breue, ut scribit Nonius, dictum à celeritate. Gellius celoces appellari ait, quas Græci celetes, ut modo dicebam, unde apparet error Sipontini qui celotin in nauigijs cõmemorat. Huius meminuit & Isidorus, etsi mendosus sit codex: nam celones, inquit, quas Græci celenas uocant, cum celoces & celetes legendũ sit. Ennius: Labit̃ uncta carina per
 æquora

æquora cana celocis. Celetis uero
 meminit Pollux in primo. Dicitur &
 forma diminutiua κελήτιον, qua uoce u-
 sus Xenophon & Appianus. Hinc &
 ἐπακτροκέλης nauis prædatoria Aristoteli
 & Suidæ. Thomas uero Magistri, ubi
 de Atticis agit dictionib. Celes, inquit,
 nauigiolum nauibus tractū, quod &
 celetion dicitur. Epactroceles autē ma-
 leficum est & prædatoriū nauigiū. Hęc
 Thomas. Idem et plurib. Ammonius,
 Meminit epactroceletis Æschines in
 oratione aduersus Timarchum. Epac-
 tridos uero Xenophon, qui & in pri-
 mo Hellenicōn κέλητα ὑπορετικόν, quod
 remis ageretur dixit. Verum ut ad ce-
 locem redeamus, hanc Plinius à Rho-
 dijs inuentam scribit. Fulgentius: Ce-
 locem, inquit, genus nauiculæ modi-
 cissimę, quod blannā dicimus. Fulgen-
 tij uetusta exemplaria non blannā, sed
 lembum habēt. Apuleius in lib. de re-
 pub. qui celocem regere nequit, onera

riam petit. Meminit & Plautus. Sunt qui celocē id genus nauigij existimēt, quod uulgato sermone brigantinum, uel galeam subtilem uocitamus.

Cercurus nauis est Asiana, ut legimus in castigatis Nonij exemplarib. in antiquis enim cercerus legebat̃. Sanē cercurus nauis fuit prægrandis, cuius Plautus meminit in Stichō, dum inquit: Percunctor portitores ecquæ nauis uenerit ex Asia, negant uenisse. Conspicatus sum interim cercurum. Item ibidem: In cercurum, in stegam. etsi exemplaria pleraq; cercerum, non cercurum habent. Sed & Gellius in x. cercurum agnoscit. Nonius super hac re Lucillium citat. Meminit & T. Liuius. Cercyram etiam uocari hanc nauem arbitramur, & ut suprā notauimus, à Corcyræis inuentā, ut naxiurges, medias & parones, à locis. Cercyram quoq; Plin. in viij. uocasse uidet̃, eamq; à Cyprijs inuentam ait. Ego ex

Suida alijsq; scriptorib. non à Cyprijs, sed à Corcyreis libentius legerem. Eo quidem loco & Hermolaus idem sensisse uisus est : cercurum tamen ipse legendum probat, idq; ex Strabone, caudatamq; nauē interpretatur. Cercuri quidem & Suidas meminit, & Harpocratio. Sed & Dinarchus rhetor in Tyrānico. Porro si amplius quisquam circerū legendū putet, à Circeis id deflectat, id quod aliquibus placet.

Catafropiū apud Gelliū speculatoria nauis est. Eiusdem meminit & Hirtius & Isidorus. Quidā *κατασκοπία* uocant, ut Plutarchus. M. Tull. ad Atticū alicubi episcopiū uocauit. Conscendēs, inquit, ab hortis Cluuianis in phaselū episcopiū. Idem in v. Habebā & aliud episcopiū, tametsi quidā utrobique *ἐπισκοπιον* legant, alij catafropiū. Latini hoc omne genus nauium tum exploratorias, tū speculatorias uocāt. Has uero cōiicimus tales fuisse, qualesque nostra

tempestate brigantini nominant̃. Nauium uero hoc genus inuentũ ab ijs quidem scribunt, qui Diomedas insulas incolere. Has etiam Græci *μεταῖρος* uocant, ut est apud Thucydidem & Suidam.

Caudicariæ naues, quas codicarias etiam appellat consuetudo, ut Marcellus ait, eò quod usui sunt in fluminibus, idè ex Sallustij historijs adstruit. Varro uero, quòd, inquit, antiqui plures tabulas cõiunctas codices dicebãt, à quo in Tyberì naues codicarias appellamus. Has à Latinis quidã inuentas prodiderũt. Eæ quoq; caudicariæ uocant̃, ut est apud Gell. qd caudicem & codicem dicimus: unde & Caudex appellatus fuit Appius Claudius. Eadem scribit Seneca in lib. de breuitate uite. Sed hac de re meminì me plura in annotationib. obseruasse in libello, cuiusuis sit, uirorũ illustriũ, in quo male legitur audax, pro eo quod est App. Claud.

Claud. Caudex. Sed & Pomp. Festus caudicarias naues ex tabulis crassioribus factas scribit. Sunt & qui caudicas uocēt naues, quæ ex uno ligno cauate sunt, quæ & quatuor ad decem usque homines capiūt. Caudecæ uero cistellæ dicuntur ex iunco, à similitudine equinæ caudæ. Festus autor.

Corbita genus est nauigij tardū & grande, dicta à corbe corbita, quod uidelicet in summo eius malo ueluti corbis pro signo suspendat, ut scribit Fest. Plautus in Pœnulo: Tardiores quàm corbitæ sunt in tranquillo mari. Meminit & Cic. in epistolis ad Atticum. Corbitam ab Hippio Tyrio iuentam tradunt, & eandem cum oneraria faciūt. Nam & Nonius onerarias ex oneribus tardas scribit, atque ab ijs appellatas. Corbitare Plautus in Cas. dixit, pro eo quod est cōplere uentrem. No ui, inquit, ego illas ambas estrices, corbitant ubi comesse possunt.

Comistica nauigia à Græcis dicta, in quibus quæ ex hostibus capta sunt spolia deportantur, ut est apud Hyperidē, id Suidas aliq̄. Naues uero quæ in hominum potestatem uenerunt, uel depressæ cum ipsis hominibus, *αὐτανδρους ναῦς* uocat Pollux, & Diodorus in primis: tametsi & de alijs quoque rebus dicere possimus, ueluti de curribus, ut apud Lucianum *ἀμαξίας αὐτανδρους* uocantur, & simili figura *αὐτοφόροι νῆες*.

Cymbam Phœnices inuenere, ait Plinius. Parua est nauicula, in medio latior. Eius nomen inter cætera nauigia cōmemorat Nonius, & super id citat Ciceronem & Aphranium, unde etiam uascymbion, de quo plura inter uasa. Festus quidem *κύμβιον* græcè, dici latinè cymbam existimat. M. Tull. in iij. de officijs inter piscatoria reponit nauigia. Isidorus easdē existimat, lembum & cymbam & caupillum.

Chollones

Chollones naues sunt miræ magnitudinis, uelocissimæ, sursum erectæ in altum, ductiles, pellibus ursarū & hircorum in altum quasi colla, circumdata, paruis fenestellis, quæ sunt uerba Hieronymi in tralatiōe Ethici Histri. Sed ne huiusmodi nauis mentionem aliubi factam reperi, nisi quod Isidorus Hispalensis chellonas uocat. Sed an chelones potius utrobique legendum à testudine sit, non statuo.

Cybæa. Est & cybæa nauis nomen apud unum Ciceronem in Verrinis. Nauem uero, inquit, cybæã maximã triremis instar, pulcherrimã atq; ornatisimã palam ædificatam sumptu publico. & reliqua quæ subiūgit. Erat autem prohibitū, ut in qua quis prouinciam administraret, nauẽ fabricaret, id quod & idem ipse Cic. innuit. Extant & hac de re leges. græca porro uoce est *κυβεία* nuncupata, ut calliditatem uafri-
ciemq; suã ostenderet prætor Verres.

Dicrotæ & dicrota, hoc est, fœmini
 no ac neutro genere, dicuntur nō mo-
 do Latinis, sed & Græcis, quæ & *διήρης*,
 hoc est, biremes, licet id quidam infi-
 cientur, dicte, à duplici uidelicet remo-
 rum ordine: sint licet inter eruditos
 qui eas naues interpretentur, quæ duo-
 bus gubernaculis à prora pariter &
 puppi regantur. Meminit M. Cicero
 ad Atticū; Nam & ipse Domitius bo-
 na habet planè dicrota. Hirtius seu
 Oppius in quarto de bell. ciuil. Capit
 ex eo prælio pentiremem unam, trire-
 mes duas, dicrotas octo. Utitur & u-
 troq; genere Appianus, ut cum ait in
 Mithr. *ῥοδία δίηρης ἐπ' αὐτὴν ἀνήχθη*. hoc
 est, Rhodia dicrotos in eam inuecta
 est. Neutro tantum Pollux, & Poly-
 bius, & Cic. Dicunt & *μονόηροτος* Græci,
 ab uno uidelicet ordine, ut est apud
 Xenophontem in primis & Strabonē.

Dromones quoque naues sunt, ut
 Ethicus Hister scribit in v. quo loco
 nauium

nauium multarum nomina leguntur. Casiodorus in lib. uariarum, earum etiã meminit, ut opportunarũ ad rem frumentariam cõuehendam, & ab his dromonarios uocat earum nauicularios. Meminit & dromonum Procopius libr. iij. de bell. Goth. qui & eis à Bellifario propugnacula addita ad arcehdos hostes ait, cum obsessis Romanis à Totila opem ferret. Idem meminit in alijs historijs. Isidorus dromones longas naues uocat, quę quoniam fugę cursuiq; aptiores sunt, *ἄρστρομος* dictę uidentur: nos cursorias interpretari possumus, ut & nõnulli in uertendis gręcis interpretati sunt. At quidẽ dromades Iul. Pollux holcades uocauit, ut mirum sit cur Fulgentius prodiderit lembum *δρομολόμ* uocari, ut alibi dicã. Sanẽ & dromones pisces quos Plinius xxxij. nat. hist. uocasse uisus est, quos an easdem esse quos & *δρομολόμ*, id est, cursiones, nunc nõ sta-

tuo, sicuti & in genere camelorum. Liuius de bell. Maced. Dromades, ante hunc, inquit, equitatum falcate quadrigæ, & cameli quos appellant dromades. Ab his ego puto in sacra historia dromedarios uocari.

Fluuiatiles naues, quibus in fluminibus usus est, ut uel ex Liuiio didicimus, qui ait Patauinos cōtra Cleonymū Lacedæmoniū processisse. Pars, inquit, fluuiatiles naues ad superanda uada stagnorum aptè planis alueis fabricatas &c. à Græcis ποταμια πλοῖα. In hoc genere lintres, cymbæ, pontones, & huiusmodi multæ.

Geraria nauis à Plauto dici uidetur quæ & oneraria, uel mercatoria uocatur ita enim in Mercatore scribit: Ædificat nauim gerariam, & merces emit. Dicta uero uidetur à gerendis & deuehendis mercibus; ut φορτίς & φορτηγὶς à græcis à deferendis oneribus, ut alibi dicemus. Solinus uero gerulam nauē appellat

appellat cum ait: *Navis à Phrygia gerula sacrorum, &c.*

Gaulus genus est nauigij, ut ait Festus, penè rotundum, & ut Græci scribunt, γαυλὸς βαρυτόνως γὰρ εἰδὸς φασι πλοίου στρογγύλου. hoc est, gaulus cū graui accentu in fine, speciem aiunt rotundi nauigij, cuius & apud Comicum usus. Meminit & Gellius, & Pollux, qui & illum inter uasa reponit: sed & Suidas alijs, ut in uasis retulimus. Sanè inter scriptores uideo non conuenire. Quidam enim inter Italos, gaulum inter parua nauigia connumerant. Gallii nonnulli inter magna, quomodo Herodotus & Plutarchus. Porro ne quid à me desideres, γαῦλον cum circumflexo in priore syllaba, Phœnicum est nauigium. Callimachus poëta: κυπρόδι σιδώνιος με κατήγαγε γνήσιε γαῦλος. Alij quidem nauigium ad deferenda onera, hoc est φορτικόν dicunt, alij triremis speciem dicunt, παρὰ τὸ γὰρ, quod capio significat,

quod scilicet multos capiat, ut in iij. histor. ostendit Herodotus. Est etiã prædatorij nauigij species, quæ & liburnica uocatur, ait Phauorinus. Cætera in uasis retulimus.

Halias nauis est maritima, apud Græcos notissima, ab ipso ut liquet mari appellata, scapha scilicet. Sũt qui eandem cum piscatoria faciant, hoc est, ἁλιευτικὸν πλοῖον, certe & à nostris piscatoria dicitur. In hoc genere reponũtur cymbæ, scaphæ, horiæ, lemunculi. Marcianus Iuricons. de fund. instru. nauicellas piscatorias, Liuius naues appellat.

Hemiolus, uel hemiolia nauis, hoc est, ἡμιόλος, ἢ ἡμιολία ναῦς apud Polybium & Appianum, unde & trierhemiolia, quarum Athenæus in v. & Polybius meminerunt. Quidam biremẽ hemiolum uel hemioliam interpretati sunt. Sed certè hemiolus à mathematicis ea est proportio quæ à Latinis sesquialtera uocatur, quæ uidelicet totum & eius dimi-

dimidium comprehendit, ut ad tria, quinque, xv. ad x, xxx. ad xx, ut Gellius & Boëtius alijque docent: unde fortassis potuit navis hæc appellari. Hanc piraticam esse nauem docet Suidas. Phavorinus uero & *δύκροτον καὶ ληστρικόμ.*

Hiberiota navis est oblonga, sed arcta, ut his uerbis testatur Ethicus Hister: Hiberiota, inquit, navis qua Hyrcani utuntur, longitudine proluxa, latitudine coarctata: hanc ego ab Hiberis Scythicis uocitatam autumo.

Hippagines latini, græca licet uoce, naués uocant equiscōuehendis aptas, ut docet Festus: meminit & Gellius. Græci *ἵππαγωγούς*, ἢ *ἵππηγούς* nuncupant, Pollux & Festus. Hippagogos etiam uocat T. Liuius, & Herodotus, qui & hippophoras eas in Erato dicere uideatur. Sunt qui hippagum ab hippagine differre existiment, sed parū certis rationibus mouētur, quas ideo nec ego refero. Hippagum, scribit Plin. in vii.

inuenerere Salaminij, alij Athenienses: eo licet loci libentius hippagon Hermolaus reponat. Est & apud Isidorum mētio hippagogi, sed perperam in per uulgatis codicibus hippogauum legitur, pro hippagogo.

Horia nauis dicitur piscatoria Nonio Marcell, quā & Gellius ὑπολοισικῶς horiolam uocauit in scapharū numero, Plautus in Rud. Saluete horia in mari fluctuoso. Idem ibidem: Mea opera, labore, & rete & horia. Sunt qui apud Gellium quo loco ὀξεῖα legitur, horiam reponant, Siphōtinus oxyam, & longam nauem fuisse putat, ego celerem uel acutam potius, quo modo frequenter apud Græcos inuenimus ὀξεῖα πλοῖα, id est, acuta nauigia, ut apud Appianum in Illyrico, cum ait: Vnde & nunc Romani oxea dicunt liburnidas uocant. ego tamen hic nihil statuo. Fulgentius quidē ad Chalcidium: Horiam, inquit, dicunt nauicellam

cellam modicam piscatoriam. Vnde Plautus in Stichō : Malo hunc alligari ad horiam, Ex quibus omnibus apud Ammianum Marcell. libr. xviii. hist. melius legemus horiæ naues, quæ quod uulgò uforiæ. Sunt & qui potius sine spiritu afflatuque dictionem hanc scribant.

Iulopeza, nauis genus à Suida, alijsq̃. Nihil præterea de ea comperi.

Lamias naues in directum prolixas describit Ethicus Hister, easq̃ nomen à uelocitate sortitas prodit, à fera uidelicet lamia, ut reor, cuius Aristophanes & Suidas meminere.

Lembus nauicula breuis piscatoria, ut scribit Marcellus. Apud Liuium tamen & Polybium & Diodorū, etiam ad belli usum positam inuenimus. Fuit hæc inuenta nauis à Cyrenensibus, ut prodit Plinius. Meminit huius Verg. lib. primo Georg. Non aliter quam qui aduerso uix flumine lembum

Remigijs subigit. Fulgentius: Lembus est, inquit, nauiculæ genus uelocissimæ, quam *ῥομῆδον* dicimus. Lembum & cymbam simul enumerat Isidorus. Extat & græcum epigramma Antipatri Thessali in lembum cognominatum Soterichū, in cuius nomine ludit, quod nemo in eo nauigās seruari possit. quod epigramma ex ij. libr. hic tibi ut cunq; exprimā: Lembus erat nauitæ Soterichus, at nec in illo Seruari magnus Iupiter ipse potest. Nomine nam solum est Soterichus, ingredientes Nanq; petunt terram, seu mage Persephonem. Sanè ueteres à lembo stlembū per contrariū tardum & grauem dixisse legimus, ut obseruant grāmatici, qui & lemnunculū, seu lenunculum (utroq; enim modo legimus) idem esse cum lembo tradunt, cuius Sallustius hist. lib. ij. meminit. Primo indicit fortè per noctem in lemnunculo piscantis. Addit & alia Nonius

nus. Ammianus lib. xvi. hist. Auido, inquit, flatu uentorū lemnūculo se cōmisisse piscantis. Meminit idem alibi. Cæsar lib. ij. bell. ciuil. Pauci lemnunculi ad officiū imperiūq; cōueniebant. Corn. Tacitus lib. xiiij. de Agrippina Neronis matre enatante: Nando, inquit, deinde occurſu lemnūculorū Lucrinū in lacum uectam, uillæ suæ inferunt. Nō fortassis dissimiles sunt lemnunculi ab his quos patrio sermone nos Ferrarienses, sandalos seu sandaletos uocamus: nam & robustiores incōditosq; & maiores, super quos in Pado aquatica molendina construimus, sandones quasi sandalones uocamus.

Liburnæ, ut Ethicus Hister (cuius antiquitatis historias ab Hieronymo ex græco cōuersas in hoc libello sæpe citauimus) scribit, naues sunt negotiatorum. Idem & Isidorus prodit. Citas uero & ueloces, ut dromones, & inter maris procellas admodū necessarias,

ſidem Hiſter & Iſidorus tradūt, in Li-
 byaꝝ repertas : niſi potius legendū ſit
 Libyrnia : nā in Illyrico Appianus A-
 lexandrinus à Liburnis ait populis in-
 uentis, qui huiuſmodi nauibus latro-
 cinia exercebāt : unde, inquit, etiā nūc
 leuia & oxea, id eſt, uelocia dicota, li-
 burnides uocant. Idem & in iiii. de re
 milit. Vegetius, qui illas ea Dalmatiæ
 parte inuentas ſcribit, quæ Andecring
 ciuitati ſubiacet : quo loco & idem ſcri-
 ptor eas copioſe deſcribit. Vocant̄ &
 hæ liburnicę, & liburnum, genere neu-
 tro. Lucanus: Ordine cōtentæ ge-
 mīno creuere liburno. Hoc quidem
 nauis genere de M. Antonio & Cleo-
 patra Aug. Cæſar uictoriā eſt cōſecu-
 tus. Harū uero mentio eſt frequentiffi-
 ma tam græcis q̄ latinis ſcriptorib. Li-
 burnicæ, inquit Suidas, naues fuere,
 nō ad triremiū conformatæ ſpeciē, ſed
 magis prædatorię, roſtrate, & robuſte,
 & cōtectæ, quarū eſt uelocitas incredi-
 bilis.

bilis. Sunt etiã libernæ apud eundẽ & Phauorinũ, sed perperã, ut puto, nuncupatæ. Acron Horatianus interpretres inepte has naues putat uimine contextas. Liburnus quidẽ apud Iuuenal. pro lecticario uel lectica capi uidetur.

Lintres naues fluminales, ut ait Nonius, quas à Germanis inuentas legimus, qui Danubiũ sint accolæ, easq; ex integris arborib. cauatas, unde Verg. Cauat arbore lintres, tametsi eo loci fortassis nõ pro nauigio, sed pro alueo & uase cõmodius possit exponi. Sũt omnino lintres nõ ad longas nauigationes idoneæ, sed, ut Liuũ uerbis utar, ad uicinalem usum paratæ, & ut idem subdit, nouasq; alias primũ Galli inchoantes cauabãt ex singulis arboribus, et propterea Plin. monoxylas lintres ait in vi. Tales certè ferunt Almadię quas uocãt, Nigritę Africę populi. alij uero Caneas, qd noui orbis scriptores tradũt. Lintres quidẽ Isid. carabos uocat,

de quibus in acato iam diximus, & Suidas in liburna. Hinc & diminutiuum carabion, & fortasse uernaculum nauigiū carabella. Sed carabus, quod retro nō retuli, ut Isidorus ait, parua est scapha ex uimine facta, quæ crudo corio coniecta nauigiū genus præbet, qualibus, ait, utuntur Germanorū piratæ in oceani littoribus, uel paludibus, ob agilitatē: de quibus historia, Gens, inquit Saxonū myoparonibus, nō uiribus utuntur, fugę potiusquàm bello parati. Hactenus Isidorus. Sanē sunt qui lintrem per ypsilon scribāt, idē se ex Prisciano grāmatico colligere affirmāt, à λιντήρ, prima diphthōgi abiecta uocali, & n litera interposita. Significat etiam linter interdū uas in uindemijs aptū, quam uulgò nauaciam uocant. Meminit & Tibullus cum ait: Et mihi seruabit plenis in lintribus uuas, Prescāq; ueloci pinguia musta pede. A lintre lintrarios deflexit Vlpianus.

Longe naues quas Latini uocant, à Græcis μακρὰ πλοῖα, καὶ νῆες μακρὰ dicuntur. Has quidam scribunt à spina putrefacti piscis in littore ad cōstruendas per imitationem doctrinā esse desumptam. Longarū adeò crebra est mentio apud autores, ut autoritatibus id ostendere sit superfluum. A quibus inuentæ tradantur, in prima libri parte monstrauius.

Marplacidæ, seu ut aliij legunt apud Gellium, mariplacidæ, uel marceplacidæ, naues sunt, quas à Siculis inuētas aiunt. de his nihil præterea.

Musculum describit Valturius in libris de re militari, curuū esse genus nauigij, quod apud Isidorū corruptè reor mululculū uocari. Sed cum pro naue musculū aliubi me legisse nō succurrat, nihil decerno. Veget. quidem lib. de re milit. iij. item Cæsar, & Ammianus, musculum pro machina militari desumunt, qua ad arces & mœnia

demolienda milites plerunq; utuntur.

Meliacū nauigiū uocant Græci scriptores, rimarū plenū: unde & prouerbiū usurpatū, τὸ μελιακὸν πλοῖον, quod sumptū uideri uolunt ex cuiusdā Aristotelis historia Meliaci, qui cū deducendæ coloniæ prefectus creatus esset, & pleriq; cum eo ire detrectarēt uaria causantes, hoc est, uel uxores egrotas, uel naues esse rimosas ac fathiscētes, & id ille animaduertisset, eis imprecatus est ut uerè naues rimosæ fierent, & uxorū imperia. Suidas hoc non Aristoteli, sed Hippotē attribuit, à quo prouerbiū factū sit: id quod miror latuisse Erasimū, qui & in eo etiā decipit, qd̄ putat à μελία urbe Cariae factū adagiū, uel ab arbore μελία, hoc est, fraxino, cum potius à μίλω una Cycladum deducatur, à qua μήλι & μηλιεύς, μελιακός, ut notat Stephanus, res est notissima.

Monoxylon nauis species est ex solo ligno cōfecta, ut etiā uox ipsa indicat.

Huius

Huius & Poll. lib. i. & Veget. lib. ij. de re milit. meminerūt. Hoc genus nauis *ἁδρῶν* Cyprii uocāt. Monoxylō quidē epithetō est aliquādo, ut est apud Pli. monoxylis lintrib. ut iā meminimus.

Myoparo piratarū nauis est, quod Nonius M. Tullij, Sallustij, & Sisenæ autoritatib. cōprobat. A Tyrrenis myoparo inuētus credit̃. Sex. Pompeius, Myoparo, inquit, genus nauigij ex duobus dissimilib. formatū, nam et mydion & paron per se sunt. Sunt quidē parones, quos & pirones uocat Ethicus Hister. His nauib. eodē autore Histro, utūt Albani, Meote, Maze tæ, Gangines. Hæ et alio nomine Tulchię uocant̃. Porro Parones dictos Suidas innuit ab insula Paro, cui et Aristophanis interpretes assentiuntur, ut alibi ostendimus. Existimat uir doctus myoparonem dictum à myunte & paron, posthabita Festi sententia. Sed enim de Paronibus & Varro meminīt.

Iamq̄, inquit, duos parones habebant instructos. Festus alio loco, parones, ait, nauium genus, ad cuius similitudinem myoparo uocatur. De eodem & Isidorus, quem ipse scriptorem, si castigatior habeatur, nō usque adeo improbarim. Poro, inquit, nauigiū piratarū aptum, & ex his ita uocatū. Cicero: Tunc se fluctigero tradit mandatq̄ paroni. Et alibi: Parūculis ad littus ludit celerib. Myoparo, quasi minimus paro: idem & carabus, de quo repetē quæ antè in lintre scripsimus. Ad hæc, maiores & minores myoparones aliquando apud autores obseruauimus.

Nausum, gallicū nauigij genus fuisse innuit Ausonius in epistola ad Paulinum. Vt nauiso, inquit, aliāue quauis naue usq̄ ad oppidum præbita. Et idem ad eundem in iambico: Vt inde Nauiso deuehat.

Onerariæ, ut Marcellus ait, ex oneribus tardæ naues dicuntur, φορτηγοί, &

φορταγωγοί, & φορτίδες à Grecis uocantur. Thucyd. etiã in vii. πλοῖον φορτικόν dixit. Addit & Pollux, φορτίς & φορτηγίς, & βαρεῖα ναῦς. Notissimæ uero sunt naues onerariæ. Vocant̃ & hæ holcades, πρὸς τὸ ἔλκω, unde & lignū naui affixum ὀλκίον uocatum est, quo nauis trahitur, quod & poëta naui Argo attribuit. Thucydides mercatoriam nauem holcada facere uidetur. Huius & Appianus meminit lib. ij. bell. ciuil. Meminere & frequentius poëtæ, ut Nicander & Oppianus. Sunt qui existiment has eas naues esse quas nauticum uulgus cochas appellat. Ab holcade aliud nauigij genus epholcion, & epholcias deducitur, quod maiorē nauem sequi solet. Meminit Theophilus, Suid. Motocopulus, alij; uulgò Ferrariæ battellū uocamus. Sanè epholcias per tralationem etiam conuiua dicitur non uocatus, sed à uocato adductus, qui & latine umbra dicitur, & græcè σκιά, ut Plu.

tarchus in symposiacis et Suidastantur: qualem fuisse Asc. Pædianū cum Blæso accepimus apud Apiciū, & apud Horatiū poëtā Seruiliū & Vibidium, quos Mecenas adduxerat umbras. Item, Locus est & pluribus umbris. qua eadē loquendi figura uernaculo sermone usurpamus, uaccol batello. Demū ne à proposita nauū descriptione recedamus, onerarię naues diuersa sortita sunt uocabula, à reb. uide licet que in ijs deferunt, ut à re frumentaria σιτηγοί et σιταγωγοί νηες, à nostris naues frumētarię, et annotinę: ab armamētis cōuehendis σκυφοφοί & ὀπιλιταγωγοί, ab equis hippagines & hippagogæ hippagiue, ut iam diximus: à militib. stratio tides, & uinarię ab Iureconsulto, à uino & huiuscemodi similibus rebus, ut est à M. Tull. dictum, Nauis paleæ.

Ocyalus etiā nauis genus est uelocis, à qua in mari præcipuè uelocitate ei nomē græci indidere, Theophilus & Suidas,

das, aliĳ. Est & ὠκυπόρος uelocis nauis epitheton.

Orthocroterus quoq; nauis genus, qđ scilicet recta habeat antēnas: sic em̄ uocatur ὀρθόκροτος ναῦς, ἢ ὀρθὰς κροταίας ἔχουσα, ut ait Suid. Aliĳ qđ τὰ καῖρα, hoc est, capita erecta habeat: sic em̄ Attici capita uocant. hinc & boues ὀρθόκροτος eadē ratione uocant. Est & ὀρθὰ ναῦς, hoc est, recta nauis, ut est apud Cic. in epist. ad Q. fratrem, & in familiarib. lib. xij. & item in epist. Senecæ lib. xij. Videť uero recta nauis uim prouerbij habere, sicut apud Enniũ: Dum clauũ rectũ teneã nauemq; gubernem, ut etiã legimus apud Quintilianũ in ij. Eadem ferme ratione Pindarus, rectum seu iustum gubernaculum dixit, δικαῖον πηδάλιον.

Pacton scaphæ genus ex uirgis ita compositũ, ut textile quiddã uideat, quod à Strabone scribit in ult. geogr. ut latinè conuertit Greg. Tiphernas: quod græcè ita legit, ὁ δὲ πάκτον διὰ σκῦτα.

ἀίδωρ πεπηγώς ὄσει σκαθίου, ὡς εἰκέναι διπλοκί
 νω. Similes ferè & Herodotus Babylo-
 nias naues describit in Clio, hoc est, in
 primo hist. lib. quæ orbiculares ex sali-
 cibus fierent, corio circūtectæ, quas &
 multis uersibus exequitur, ut etiam à
 nobis antè relatum est. Ethicus quoq̃
 Hister & ipse scaphas describit uimine
 contextas, quæ undiq̃ bitumine sint
 perlite, ut etiam de carabo in lintre tra-
 didimus. De uirilibus uero corio cir-
 cumsutis, item uimineis atq̃ salignis,
 iam à principio abunde scripsimus.

Paralus Atheniensium nauis sacra,
 dicta, ut Vlpianus rhetor in Demo-
 sthenis oratione κατὰ μείδιου scribit, uel à
 Paralo Periclis filio, uel à Parolo quo-
 piã heroë, cuius & Phylarchus in xxi.
 meminit, & Harpocraton in lexico.
 Hunc Paralum, ut puto, Plinius in vii.
 nauem longam reperisse ait. Huius ue-
 ro cognominis fuit Periclis filius, uel
 dicta à denauiganda paralia, hoc est,

Asia & Hellesponto. Alij Paraliā quar-
 tam terræ Atticæ partem dixerunt, à Pa-
 lante Cecropis filio. Nec desunt qui di-
 ctam putent, quod iuxta mare agatur,
 uel quod apud alias esset posita, hoc
 est, ut græcè dicitur, πρὸ τῆς ἁλῆς, ἢ πρὸ τῆς
 ἄλλης κειμένη. Fuerunt uero apud Athe-
 nienses primo duæ triremes sacre, hæc
 ipsa Paralus, & Salaminia, quæ & De-
 lia uocabatur, cuius & suprâ memini-
 mus. Alij Paralon & Salaminiam ean-
 dem fecere, ut quodâ loco scribit Sui-
 das, cum rectè alibi diuersas faciat. Sa-
 cre quidem naues theores appellaban-
 tur, quibus Deliastæ & Theori ad ora-
 culum sciscitandum mittebantur, ut
 alibi dicemus. Sedenim posteriore tē-
 pore ipsi ijdem Athenienses, & sacras
 alias naues construxere, Antigoniada,
 Ptolemaida, & Ammoniada, quæ ad
 Ammonem pro sacris accipiendis mi-
 serant, ut tradit Vlpianus. Suidas his
 adiungit Demetriada. Porro Parali

meminit Demosthenes in Philippicis, & Harpocratio, & Plutarchus cum aliubi, tum in eo qui inscribitur, an à seniore regenda sit respub. A parolo nauis, ministri parali uocitati sunt, qui ob nauis ministeriū quatuor obolos pro mercede accipiebant, & domi per annum plurimum manebant, quibus & alia nonnulla ciuitas exhibebat. Sed iam de paralo satis.

Pentecontorus, πεντηκόντορος, nauis quinquaginta remigum. Hanc Graeci scriptores à Danao inuentam proderunt, eoq̄ fuisse numero, quod totidem essent Danaī filiaē, hoc est, quinquaginta, cum ex Ægypto Argos in Græciā aufugit. A pentecontoro, pentecontarchus dictus, qui ei nauī praest, ut est apud Demosthenē *ἐν τῷ πῶδι τοῦ ἐπιτηρητῆρος*, & apud Harpocratiōnem, licet Phauorinus legat Diogenem, ut puto, perperam. Sunt etiā eadem figura appellatę naues, *ἐκατόντορος*

Πενήκοντα, εικόσσοι, hoc est, centū, trigin-
 ta, & uiginti remigū actuariæ. Harum
 uero mentio ab Herodoto, Thucyd.
 Polyb. Diodoro & alijs facta est. Val-
 la tamē apud Herodotū pentecōtoron
 biremiē interpretatus est, q̄ recte ipse
 uiderit. Celebrant à Græcis Ætolorū
 pentecontori, quorū cum decimā ali-
 quādo cepissent in Achaia Megaren-
 ses, uel ut alij scribūt, Æginenses, eam
 Apollini Pythio dicarunt, & simul ora-
 culum scitati sunt quinam Græcorum
 essent præstantissimi: qui responsum
 illud acceperūt, ex quo Græcis celebre
 factū est prouerbiū, in eos qui nullius
 sunt precij ac numeri, ὑμῆς δ' ὡ μὲγαρ εἶς
 ὄτε τρίτοι, ὄτε τέταρτοι. hoc est, Vos Me-
 garenenses nec tertii, sed uos neq̄ quartii.
 Integrum oraculum apud Stephanū
 leges, uel in cōmentarijs Theocriti.

Phaselus nauigiū est Campanū, ut à
 Nonio scribit̄, qui super hoc Varronē,
 Sallustiū, & Sisennam citat. Meminit

& Cic. ad Atticum. Sunt qui à legumini-
 nis specie phaselum nauem factam di-
 ctamq; putent. Sūt qui à Phaselide lo-
 co deduci opinentur. Pictos phaselos
 appellat poëta eo uersu: Et circum pi-
 etis uehitur sua rura phaselis. Legi-
 tur elegans Catulli epigrāma, quo ge-
 mellis Castoribus phaselum dedicat:
 ad cuius imitationem iisdem penè uer-
 sibus poëta Maro Sabinū suum com-
 posuit, ut liquet. Alij phaselū nauem
 oblongam esse scribūt, quali stagnan-
 te Nilo Ægyptij utuntur, ut Vergil.
 Horat. Fragilemq; mecum soluat pha-
 selum. Isidorus uero in etymologico,
 Phaselus, inquit, est nauigiū quod cor-
 ruptè basellum dicimus, nostro uero
 nunc tempore uasellum appellamus.

Phylacides, & προσφυλακίδες, & φρεσι-
 δες, naues Græci uocabant, quæ ad præ-
 sidia & custodiam mitterentur, quarū
 mentio cum apud alios, tum maxime
 apud Xenophontem, Diodorum, &
 Appianū:

Appianum: eas nos præfidiarias uoca
re possumus. Appiani quidē interpres
custodiaras fidelius quàm elegantius
reposuit.

Piraticæ naues tam à Græcis quàm
à Latinis uocantur piratarum & præ-
donū nauigia: utrisq; crebra est men-
tio. Eædem & prædatorie Liuiō dicū-
tur & Plauto, & græcè ληστρικά πλοῖα, & λη-
στρίδων νηῶν, earum licet non una sit certa
aliqua species, sed uaria ac diuersa: mo-
do enim liburnicas, modo celoces &
myoparones, alijs deniq; nominibus
apud autores uocitatas uidemus.

Pistris nauis genus est, seu ut doctio-
res autumant, pristis, quod & cōsonū
magis uideat, si à secandis undis & flu-
ctibus nominat, id est, ut ait Seruius,
ἀπὸ τοῦ πρῖζειν τὰ κύματα. πρῖσις enim is est
qui secat. Alij à piscis genere formari
contendunt, quod utrunq; conuenire
potest, hoc est, & nauis & piscis, ut ean-
dem habeāt originem: nam & longio-

ris esse corporis, & angusti esse ferunt,
 & idcirco facile undas secare queunt.
 Nauis utique meminit Polybius, seu
 Brutus qui ex eo epitomen confecit, li-
 bro xvi. ubi de Philippi nauibus agit
 contra Attalum. Fuit, inquit (ut meis
 uerbis exponam) earum que cum Phi-
 lippo fuerant nauium multitudo in cer-
 tamen constituta, cataphractæ tres & L.
 cum his uero aphractæ & lembi, cum
περισσοι centum & L. Idem alio loco, hoc
 est, lib. xviii. quinque lembos habens
 & unam pristin, qua ipse uehebatur.
 T. Liuius: Persius post reditum ab Eu-
 mene Erepontis spe deiectus, Anteno-
 rem & Callippum præfectos classis cum
 XL. lembis, adiectæ ad hunc numerum
 quinque pristres erant, Tenedum mittit.
 Claudius rerum Romanarum: Quicquid
 nauigiū ea forma, marina bellua dicta
 est. Verg. Velocem Mnestheus agit
 acri remige pristin. Idem: Partem ro-
 stro premit emula pristis. Seruius Ho-

noratus obseruat in iij. Pistrix per literã x, piscẽ significare, per s, nauim; quã regulã à doctis impugnari uidemus, nam Plinius nunquam pistricem dixit, sed pistres, ut lib. ix. Cæsar Germanicus in Arato, cum de ceto agit: Auster. Pistris agit duo sydera. Idem: Æquora pistris adit. Suidas, *πρῆσις* ait, *εἶδος κίττος θαλασσίῳ ἢ λεγομένην μάλθη, ὃ καὶ ἔνθεν τιγώνισόν ὄσι.* hoc est, Pristis species ceti marini, quæ uocata est maltha, & difficilis ad repugnandum. Vbi notandum per *ἦτα* scribi, quo modo & Oppianus poëta in primo, *γῆθε διαφοινῆ πρῆσις* id est, hinc funestaq; prestis. Sed & malthã eandem Suidas *πρῆσιν* putat. Oppianus in eodem lib. diuersam facit. Quare ut ad Seruiũ redeam, rectius statuisset, si pro ceto dixisset apud Latinos utroq; modo posse proferri. Quippe Cicero in Arateo carmine, cum de eodem ceto agit, ita scriptũ reliquit: Sparsam subter caudam

pistricis adhæsit. Idem: Andromeden tamen explorans fera quærere pistrix. Idem & alibi in eodem poemate. Festus: Balænam marinam ipsam dicunt esse pistricem, ipsum esse & cetum. Sed de hoc pisce præterea Aristoteles & Athenæus. Sunt qui hoc tempore pristin uel malthan eam balænae speciem arbitrentur, quam uulgò nos ab olei copia capidolium uocamus.

Pōtones genus nauigij Gallici, quorum mentio apud Cæs. in iij. cōm. bell. ciuil. Pōtones, inquit, quod est genus nauium gallicarū, Lyssi reliquit. Meminit & Gellius. Quidam naues arbitrantur in trañciendis amnibus idoneas. Apuleius: Et si uado nō poterūt, pontonibus transibūt, quo modo castigandus est Paulus lib. ff. viij. quo loco de seruitutibus rusticorū prædiorū agit: bis enim ibi, potionibus trañciat, cum pontonibus legendum sit, quo in loco nihil sapit interpretes. Inuentum hoc

navis genus sunt qui perhibent, ab his qui circa Circeios & Pontinam paludem habitant, & inde pontonis nomen. Alij nauigium tabulatū interpretantur coniunctū duobus lintribus, quomodo intellexisse in monosyllabis Ausonius uidetur. Lintribus in geminis cōstratus ponto sit, an pons.

Isidorus neutro genere pontoniū protulit, cum lib. decimonono: Pontonium, inquit, nauigium flumini aptū, tardum & graue, quod non nisi remigio progredi potest. Hodie quoq; nauigij genus ad saxa & marmora conuehenda pontonem Ligures nominant. Sunt porro qui que græcè πόνεια uocantur nauigia, ad milites traiiciēdos pontones interpretent: rarum quidem uocabulum, uixq; apud aliū, q̄ Diodorū Siculum offendas. Cæteri enim ferè πονοβόειον, uel ἡ πονοβόεια, uocare cōsueuerūt.

Proplus, πρόπλος nauigij genus apud Pollucem & Gellium, qui ait ita à græ

cis actuarias uocari, ut antè ostendimus, uaria sit licet eo loco lectio. Vtitur hac dictione Thucydides libro vi. pro nauì quæ præmittitur, ut etiam uox indicat. Vtitur & Xenophon v. lib. Hellenicon. Est et *περίπλος* nauis genus cuius Arrianus in ij. de hist. Alexandri meminìt, cum inquit, decem triremes Rhodios misisse Alexandro, quarum una *περίπλος* uocabatur. Sanè & *περίπλος* nauigationem & maritimam illustrationem designat, cuiusmodi grecorū plerique scripserunt, ut Possidonius, quem citat Plin. & Hanno Carthaginensis, qui *περίπλον* Libyæ scripsit, quæ in templo Saturni cōsecrasse legimus. Scripsit et Arrianus ad Adrianum *περίπλον* ponti Euxini, et item alterum maris Erythræi, qui ambo extant.

Profumia genus nauis est, teste Gellio & Nonio Marcello. Meminìt Cæcil. uetus scriptor, cū ait: Cui gubernator propè euertit profumiã. Idem: De nocte

nocte ad portū sum prouectus profumia. Pomp. Fest. profumiā genus esse nauigij putat paruum & speculatoriū: quo fit ut mirer quosdam alioqui doctos hoc nauis genus sumias appellare. Sunt & inter literatores primarij quidam nominis, qui à Brutijs profumias inuentas affirmant, alioq; nomine geseoretas uocari, quod id innuat Gellius. Isidorus genus nauiculæ Syriacæ portemiā scribit, à portando uocitatam, latam & sine carina, de qua, quod sciam, aliud non comperi nisi quod ea Pannonēs utantur. Sed uidentum ne Isidorus pro porthmeia portemiam ipse induxerit.

Rates, uide schedia.

Remeculus nauigij genus est apud Gellium, nisi quis lenunculum eo loco malit legere, ut alibi monui. A remis nomen habere uideri potest. Sunt qui Lemniorū inuentum esse uelint.

Rostratæ naues græcè ferè χαλκίμβοι

λοι νῆδον, ἢ χαλκήρεις· nam χαλκώματα ἑμβόλαι
 rostra nauium appellantur; sic uero di-
 ctæ, quod ferreo armantur rostro. Isi-
 dorus quidē dictas ait ab eo, quod in
 fronte rostra ærea habeāt, propter sco-
 pulos, ne scilicet feriantur uel collidan-
 tur. Alij alia de causa, hoc est, propter
 prælia naualia. Hæ & æratæ dicuntur.
 Vergilius: Quot prius æratæ steterāt
 in littore puppes. Cæsar in ij. bell. ci-
 uil. Interim L. Nasidius à Cn. Pom-
 peio cum classe nauium xvi. in quibus
 paucaæ erant æratæ, L. Domitio Mas-
 siliensibusq; subsidio missus. Rostra,
 ait Plinius, nauib. addidisse Pisæus pri-
 mus dicitur. Rostra uero appellata li-
 quet ab auium rostris. Sed & à nauium
 rostris ex Antiatū bello Romæ locus,
 uel templū, ante curiā uocitatus fuit,
 quo in loco plerunq; conciones habe-
 bātur, quo de loco Varro, T. Liuius,
 Pub. Victor, alij. Appianus de bell. ci-
 uil. πρὸ τῶν ἐμβόλων γιν' ἀγορᾶ hunc locū uo-
 cauit,

cauit: hoc est, in foro pro rostris, loquens de Marij Cos. cæsi iunioris capite. Cæterum & à rostris corona rostrata appellata est, cuius Plinius meminit. M. Agrippam ea corona ornatum deuicto Sext. Pompeio, Magni Põpei filio, ait Seruius Honoratus super his Vergilij uersibus: Parte alia uentis & dis Agrippa secundis Arduus agmen agens, cui belli insigne superbum Tempora nauali fulgent rostrata corona. id quod etiam in nominatibus antiquis ipsius Agrippæ conspicitur. Eadem & naualis dicitur, ut copiose antè diximus.

Salaminia Atheniensium nauis, de qua uide cap. viij. & item in paralo.

Samæna nauis genus biremis, hoc est, *διπλορη*, à Polycrate Samiorū tyranno primū inuentū, ut Lysimachus in *ἱ. νόσω* scriptum reliquit, figmentū uero & opus fuit Duridis. Samænæ forma rotunda & concaua in alui fermè

effigiem, quo facilius ire & celerius fle-
cti posset: nomē ei à Samo, ubi primū
est inuenta, ut scribit Plutarchus. Me-
minit & Athenæus, qui eas Samias na-
ues uocat, & appellatas à patria, nō ut
quidam eo loci corrigūt, Samænas. Sa-
mænæ enim & Samiæ eodem nomine
dicebant, ut ex eo carmine patet: *ναῦς*
δ' ἔστι ὠκυπόρος Σαμία ὑὸς εἶδος ἔχουσα. hoc est,
Nauis erat uelox Samia hæc suis ædi-
ta forma. quod scilicet hæc anterio-
rem partem suis formā haberet. Scri-
bit Suidas, aliquos et Samænam nomi-
sma quopiam esse uoluisse, nisi *νόσημα*
potius pro *νόμισμα* apud eum legendū:
unde & prouerbum factum de timen-
tib. calamitates minus curabiles, quo
pacto Samios Athenienses affecerūt,
& Athenienses Sami, qui stigmati-
bus & notis eos inusserunt, ex qua re
& literati Sami dicti sunt. Sūt qui pro-
uerbium deducant à tormenti ac sup-
plicij genere, quod Same appellare, ex quo

ex quo & illud, τὰ Σαμίων ἀπηνύεις, hoc est quæ Samiorum sunt despuiis: uel ut rectius alij scribunt, ἀπηνύεις, id est, suspicaris. Sed in præsentia de his satis, cætera prouerbiorum scriptor exequit.

Scaphę, teste Nonio, nauiculæ sunt quę maiores naues consequunt. Idem & statuunt Iurecōs, nec in uno modo loco. Iabolenus: Si nauē, inquit, cum instrumento emisti, præstari tibi debet scapha nauis. Paulus imò contra: Etenim scapha nauis, non est instrumentum nauis, nam in mediocritate, non genere ab ea differt. Instrumentum autem cuiusque rei necesse est alterius generis esse, atque ea quæq; sit, quod Pōponio libro viij. epistolarum placuit. Cæsar in commentar. Quod cum animaduertisset Cæsar, scaphas longarum nauium, item speculatoria nauigia militibus compleri iussit. Sanè crebra est apud autores scapharum mentio: nunc uulgò pro scapha

nostri nautæ scyphum appellant, sic
 quidem & ab eruditis putatur. Sed cer-
 te & scyphus nomen est nauigij, id quod
 Aur. Macrobius uir multæ eruditiois
 apertissimè ostendit lib. Sat. v. Sunt &
 qui scaphas liburnis associari dicant, ex-
 ploratoriasque uocari, ut est apud Vege-
 tium. Sunt & qui ab Illyricis inuentas
 tradant. Sanè ueter nauis scapha dicitur,
 ut alibi diximus. Porro & illud scien-
 dum, apud Athenienses olim morem
 fuisse, ut hospites externique in Panathe-
 næis, maxima eorum celebritate, quo
 tempore populares ludi agebantur, in
 eorum pompa incederent scapham in-
 signe gestantes, quo ab ingenuis ciui-
 bus discernebantur, atque ideo hospites
 ipsi & inquilini scaphephoru uocaban-
 tur. Huius consuetudinis meminere
 Suid. & Ammonius, item Theophra-
 stus in x. de legibus, Dinarchus in ora-
 tione pro Agasideo, & Demetrius in
 iij. nomothesiæ, & post hos Val. Har-
 pocration.

pocration. Ab hac utiq; consuetudine
 etiam factum est prouerbium, Scapha
 magis elinguis, hoc est, *συσωματώπος σκαφ-
 φης*, quod de ijs dici consueuit, qui pro-
 pter ignobilitatē cōticescūt. Porro at-
 tendendū etiā est scapharū supplicium
 atrocissimū fuisse apud barbaros, cum
 duæ scaphæ inuersæ cōstituebantur,
 intus noxio imposito, manibus, pedi-
 bus, & capite exclusis, atq; ita necaban-
 tur: quod genus locupletissimē in uita
 Artoxerxis Plutarchus describit. Sanē
 & scaphæ sunt ad piscandum nauicu-
 læ. A scapha scaphium deducitur uasis
 genus. A scapha scaphiten formaui
 Demetrius Phalereus, quo uocabulo
 scaphæ moderatōrē intelligimus. Sca-
 phium etiā aliquādo pro nauigio par-
 uo sumit, & pro uase rustico, & pro in-
 strumento quo piā ad effodiendū, quo
 etiā athletæ exercebant, *πῶς ἢ σκαπίειρ*
 dictum, sed & pro tonsuræ quodam ge-
 nere. Scaphos etiā genere maris à Pol-

luce in primo prolatum est: sed & neutro, ut illud Bianoris poëtae, ῥ σκάφθου ἐν βυθός. Idem Lucillius in græcis epigrammat. πλοῖον ῥ σκάφθου ὅτι μύλων. Sunt qui cum neutro genere profertur, dicant, pro quocunque nauigij nomine accipi solere, quod fieri interdum non eo inficias. A scapha etiam scaphidion deducitur.

Schedia genus nauigij incōditum, hoc est, trabibus tantum inter se connexis: unde & mala poëmata schedia appellantur, ut scribit Festus. *σχεδία* & Suidas ita appellat, unde apparet græcum esse uocabulū: nam & Lucianus in dialogo, in quo Alexander, Annibal, Minos & Scipio introducuntur, ea dictione usus est. Item Strabo. Herodotus uero uideat accepisse pro ponte quo Darius Bosporū iūxit. Vlpianus Iureconf. Nauē, inquit, accipere debemus siue marina, siue in aliquo stagno nauiget, siue schedia sit. Sed & Seruius

grāmaticus lib. i. rates ait hoc uocabu-
 lo significari, de quibus Plinius his uer-
 bis: Ante, inquit, ratibus nauigabat in
 uentis in mari rubro inter insulas ab
 Erythra rege. Diodorus etiam Sicu-
 lus, ante nauem Argo cōstructam, ra-
 tibus & paruis quibusdā actuarijs na-
 uigare solitos antiquos scribit: quare
 apud poētas uidemus id uocabulum
 permansisse, ut frequentius rates pro
 nauibus usurpent. Ratem scirpeā uo-
 cat Plautus in Aulul. qua qui nare di-
 scunt pueri utuntur. A rate ratiarij di-
 cuntur, ut est apud Iuriscōsultos. Var-
 ro tamen de lingua latina lib. vi. Ratis
 inquit, nauis longa propter remos, qđ
 ij cum per aquam sublati, sub dextra
 & sinistra duas partes efficere uiden-
 tur rates: unde hoc translātū, illic ubi
 plures mali aut asseres. Rates etiā du-
 plices dixit Cēsar in i. bell. ciuil. Rates
 duplices quoquo uersus pedū xxx.
 è regione molis collocabat. Sanè, ut ad

priora redeamus, ab eadem schediorū origine, latinorū quidam schedam, & scedā, & schedion, pro prima scriptio-
ne uel compositione nōnunquā usurpa-
uere: unde & autoschedion. Dicunt et
schedicon, pro poëmate incōdito & pa-
rum limato, Aufonius & Apuleius: &
græcis uerba *σχεδιων*, & *αυτοσχεδιων*.

Stlatū nauis genus latum magis quā
altum, ut Pomp. Festus scribit, unde
& nomen habere creditur. Antiqui e-
nim dictionib. ab l litera incipientib.
aliquando st præponebant, ut Priscia-
nus, Festus, alij obseruant: ut, stlitem,
stlocum, stlatū, pro eo quod est, litem,
locum, latum. Stlatam uero nauē Sar-
di inuenisse dicuntur.

Synedria nauis genus esse apud VI-
pianū Iuricons. uidetur, quæ spacia-
di causa facta sit, & in qua sint sedilia.
Certè Suidas synedriam cathedram in-
terpretatur. Vlpiani uerba de exercit.
actione leguntur, quo loco putat Bu-
dæus

dæus reponendum schedia, Alciatus
mecum nihil mutat.

Strongylon genus navis rotundæ
ad onera ferenda aptū: eius frequens
græcis mentio, Herodoto, Arriano: à
nostris aliquando onerariæ dictæ *στρογυ-
λύληκῆς, & σρόγγυλον πλοῖον*. De his latius
cap. vij. locuti sumus.

Tabellarię naues dicunt̃, quę aduen-
tum classis prenūciant, id quod mani-
festè colligit̃ ex xi. epistolarū lib. An-
nei Senecę. Subitò, inquit, nobis hodie
Alexandrinæ naues apparuerūt, quæ
premitti solēt, & nūciare secuturę clas-
sis aduētū, tabellarias uocāt. hæc Sene.

Thalamege naues sunt, ad belli alia-
rumq̃ rerū pompā. Hæ, ut Appianus
scribit, tum proras tum puppes habēt
auro exornatas, in quib. Imperatores
uehi cōsueuere. Vfus & hac dictione
apud nostros Suetonius Tranquillus
in Cæsare, qui ait ipsum Cæsarē cum
Cleopatra thalamego Æthiopia tenus

Ægyptū penetrasse. Athenęus quoq̃
 lib. Dipnosophistōn v. Ptolemæi Phi
 lopatoris thalamegū fluuiatilē descri
 bit, cuius & suprā meminimus, fuisse
 longitudinis stadij dimidij, latitudine
 cubitorū xxx. Vidimus ipsi thalame
 go propè similē Venetijs, quē Ducis
 bucentaurū uocāt, à cētauro puto na
 ui Vergiliana. Fuit & eiusmodi quæ
 patrum nostrorū memoria à Venetis
 Pādora dicebat̃. Fuerūt & antiquis na
 ues quę thalamiphori dicerentur, his,
 quas modo retulimus, non absimiles,
 quas, ut puto, Anneus Sene. lib. viij. de
 beneficijs, cubiculatas uocasse uisusest
 Maximus quoq̃ Tyrius nauē regis cu
 iusdā supra Phœnicē describit, quę ha
 rū nulli ad luxū celsisse uideēt, cuius si
 formā desideras, primū & xxx. eius
 sermonē euolue. Legimus et Heraciū
 Imperatorem ex Aphrica redeuntē na
 uibus castellatis usum: putarim semita
 rium scriptorē intellexisse, quasi castris
 castris.

cōstructis nauib. Valturius autor est.

Theoris nauis dicebat̃, quā ex uoto
 Thesei cū in Cretā proficisceret̃, quo-
 tannis Athenienses in Delū ad sacra fa-
 cienda Apollini mittebant, ad oraculū
 scitandū, de re sacra facienda, de patria
 de peregrinatione, de sacris certamini-
 bus, cæterisq̃ celebritatib, & qui mitte-
 bant̃ tum Deliaste, tum theori dicebā-
 tur. nec interea tēporis quo nauis mis-
 sa esset, de noxio suppliciū sumebatur:
 qua de nauī sic in Phedone Plato: Hęc
 est illa nauis, ut aiunt Athenienses, in
 qua Theseus olim bis septem illos secū
 tulit in Cretam, seruauitq̃ illos, & ipse
 seruatus est. Vouerat autē, ut fertur,
 Apollini, si seruarent̃, quotānis in De-
 lum theorim mittere: quā quidem &
 nunc & semper ex illo tēpore singulis
 ad deum mittunt annis. Cum igitur
 theoriæ principiū agit̃, ex lege interim
 lustrant urbem, neminemq̃ eo tēpore
 publicē necant, donec ad Delū perue-

niat nauis, rursusq; Athenas reuertatur ex Delo. Id uero nonnunquam longo peragitur tempore, quando eos impediunt uenti. Initiū quidē theoriæ est, postq; Apollinis sacerdos nauis illius coronauerit puppim. Id autem, ut modo dicebā, pridie quā iudicaretur Socrates, factū erat: quam ob causam longum tēpus Socrates fuit in carcere, inter iudiciū & necem. Hęc Plato. Est uero theoria sacrificium illud ac celebritas, ut ait Thomas magistri, qua nauis in Delum mittenda, à theoro, id est, sacerdote coronabatur. Theoriā spectaculū uertit Marsilius, ineptius alij speculationē. Theoras & Suidas sacerdotes esse ait, qui ad ea sacra in Delū mittebantur, & simul qui res sacras custodiebant, curamq; gerebant: *ἄρχη* enim prisca curā sollicitudinēq; dicebant. Verum de theoris & theoria, plura idem colligit Thomas, qui & illud ait *καταρχησινας* theorida. Charōtis nauem appellasse.

appellasse Æschylum poëtā in fabula,
 ἡ τῶν τῶν θύβας. Vocabatur & theoris na-
 uis paralus, ut diximus.

Trieris nauis, ut Ethicus Hister ait,
 magna, ex trib. nauib. fabricata, ferró,
 que plurimū affixa & copulata, ut ipsi-
 us Ethici utar uerbis: sed uerius est,
 quā nos triremē dicimus. Nam quos
 græci μονήρεις, διήρεις, τριήρεις, τετρήρεις, πεντηήρεις,
 ἑξήρεις, ἑπτήρεις, ὀκτῆρεις, ἑννῆρεις, δεκάρεις, ἑνδεκά-
 ρεις, δωδεκάρεις, πεντεκάδ' ἑκῆρεις, εἰκοσῆρεις,
 τριακοντήρεις, & reliqua nauīū genera à re-
 morū ordinibus appellata, nostri uni-
 remes, biremes, triremes, quadrire-
 mes, quinqueremes, & ut Hirtius, pen-
 tiremes, sex remigū nauis, septiremis,
 octo remigū nauis, nouē remigū, decē
 undecim, XIII. XV. XX. XXX. remigū,
 &c. Sed & Græcis sæpe nominib. usi
 sunt Latini, ut Liuius in iij. decade, et
 alibi, hexeres, hepteres, & alijs quoq;
 nominibus. Sanè & ἑννῆρες apud Theo-
 philum, Suidam, & Phauorinum legi

cum dasea accentu, & unica v̄ litera, & interpretant̄ naues quę uno remigum ordine sint: scribuntq̄ Syllam cū contra Mithridaten in Dardano Troiadis regionis uenisset, naues uniremes hoc est, heneres ducentas habuisse: qđ idem tradit in Sylla Plutarchus, sed eas Mithridatis, non Syllæ fuisse ait. Sed enim uir doctus ψιλῆ accentu γνήρεις interpretari maluit, naues instructas ac paratas, idq̄ super aliquot Plutarchi loca aduocat. Sed ut ego propositam nauium rationem prosequar, T. Liuius sexdecim etiam uersuum naues commemorat in iiiij. decade: Quin, inquit, & regiam unam nauem inhabilis propè magnitudinis, quam xvi. uersus remorū agebant. Pollux xv. uersuum Ptolemæi naues celebrat, hoc est, πεντακαίδεκῆρεις. Item nauis Antigoni, quæ τριακῆμιθ à tribus uelis nuncupata est. Sanè & triremis græcè uocatur τριπρωτος, sicut & biremis διπρωτος, tametsi quidam

ab instrumento quoopiã, quod in pro-
 ra & puppe affigi tradunt, dicroton di-
 ctam uelint, uel à duobus gubernacu-
 lis, ut iam dixi. Porro & triremes à græ-
 cis ἀδελφάγους uocant, quod perfectam
 plenamq̃ exigant mercedem; idq̃ no-
 minis inuenitur in Lyfiæ oratione,
 quæ inscripta est, ἕως ἐκκείτου μαρτυρία.
 Alij existimant eas sic uocari, in qui-
 bus immensæ expensæ absumentur,
 quemadmodum & lucernam ad epha-
 gum Alcæus appellat. Alij ἀδελφάγους
 uoraces edacésque nuncupant, quo
 nomine uocatus est Hercules, ut in
 Hercule docuimus. Quidam duplici
 ΔΔ, hoc ipsum nomen scribunt. Isido-
 rus trirremem ait etiam uocari Durco-
 nem. Valla contra Raudensem Dura-
 conem uocasse uidetur, ut cunque, τὰ
 δῦρα à Græcis ligna dicuntur, unde &
 durateus, & durius Troiæ ligneus e-
 quus dictus est. Fuerūt & duplæ trire-
 mes, hoc est, διπλασιαί τριῆεις, ut est apud

Xenophontem in *iiiij. Hellenicôn. De mû* quod de diere diximus, præter Suidam & Phauorinû, qui à duob. remigum ordinib. ipsam uocatã fatent, Apollodorus quoq; duas stegas habentẽ nauem esse prodidit. At Euripides in *Phœniss.* pro domo accepit, ut Thomas et Theophilus fatent. Triremis à quibus inuenta, & quare uulgari ueraculoq; sermone galea nuncupet, ut puto, abunde in superiorib. diximus.

Tabrica nauis, quod sit trabibus cõfixa, dicta est, ut ait Festus. Pacuuius: Labitur tabrica in alucos. Trabarias has uocat Isidorus: ait enim eas esse naues annicas, hoc est, fluuiatiles, quod scilicet ex trabibus cauãtur, easdem & littorales & caudicas ait appellari, quin etiam & traves ipsæ pro nauibus desumunt, ut illud est Ennij in *annalibus*: Labit uncta traves remis rostrata per altũ. Est & id uulgatissimũ de Argo: Utinam ne in nemore Pelio securibus

Cæsa cecidisset abiecta ad terram tra-
bes. Horatius: Attalicis conditioni-
bus Nunquã dimouëas, ut trabe Cy-
pria Myrtoũ pauidus nauta secet ma-
re. Vergil. Vela damus, uastumq̃
caua trabe currimus æquor.

Trampis genus est nauigij barbari-
cum; ut obseruant Grammatici apud
Nicandrũ, & Lycophronem. Nican-
der enim in Theriacis ait, *τράμπις ὀλκὰς*
ἢ ἀκὼ τῶ ἰσθμῷ. hoc est, Trampis longæ a-
cato similis. quo loco, ut ait interpres,
poëta abusive pro quolibet nauis ge-
nere posuit. Lycophron uero in Ale-
xandro: *τράμπις ὀχίσει, ἢ φορέκλειοι πόδιον*.
id est, Trampis uehet tẽq̃ & Phereclo
pedes. Eius nauis meminuit et Suidas.
Isaacius quidem super hoc Lycophro-
nis senario: Naues, inquit, Alexãdri à
Phereclo fabricatas ait. De Phereclo
uerò qui Paridis naues construxit, &
Homær. in Iliade meminuit rhapsodia
quinta: *μηριόνης ἢ φέρεκλου γνήρα ἰοτέκνονος ἕδρα*

ἁρμονίδω. hoc est, Artificis natum Har-
 monide occiditq̄ Phereclū Meriones.
 Coluthos quoq̄ poëta Panopolitanus
 ex Ægypto, in raptu Helenę ita de Phe-
 reclo cecinit: *ἀρχεκαλοιο ποδιφροσύνησι φέρει
 κλασ, ὅς, ποτὲ μαργαίνοντι χαιζόμενος βασιλῆϊ,
 νῆας ἀλεξάνδρω δουτόμω τεκτῆνατο χαλκῶ.* hoc
 est, etsi duriusculè inconditeq̄, auden-
 dum tamen: Causa fuit qui prima ma-
 li arte Pherecli, Olim qui insano cum
 regi gratificatus, Struxit Alexandro
 naues, syluasq̄ cecidit. De eodē ita
 in heroidibus poëta Naso: Hac du-
 ce Sichæo dubias à littore feci Puppe
 Phereclea per freta longa uias. Nec
 defunt qui putent promontoriū Pha-
 lacre Idæ montis Troiæ appellatū, ut
 Isaacius ait, quod arboribus à Phere-
 clo spoliatum fuerit in construendis
 Alexandri nauibus. Non me fugita-
 lios aliter sensisse. In hæc aliquando di-
 uerti, ut te uaria lectione à fastidita le-
 uarem. Ad cetera que restant attende.

Tiphys cursoria, nauigij nomen est apud unū, quod sciam, Sidoniū Apollinarem, à Tiphy, ut puto, illo Argūs nauis gubernatore adeò noto & perito, ut in prouerbiū iam uulgatū id nomen cesserit, Alter Tiphys. Sidonij uerba hæc sunt lib. epistolarū primo: Tiphym, inquit, cursoriā, sic nauigio nomen est, ascendi. Sed quisq; sibi huiusmodi nauigiorū nomina facile cōfingere potest, quæ nostra annotatione parū digna uidentur. Nam nō modo Veneti & Genuenses, sed & reges ac principes sibi noua nauiū nomina hoc etiam tempore confingunt.

Vagiones nauiculas maritimas miro artificio fabrefactas, Ethicus Hister describit, easq; ex tabellis tenuib. leuigatis dolatisq;, ac æreis laminib. circūdatas ait, & circumfutas: dictas uagiones, quasi uagantes: easq; in bello Troiano fuisse in flumine Simoënte, idem est autor. Libet uero in huiuscapitis calce

quædam nauigiorū addere nomina,
 quorū uix aliud apud scriptores inue-
 nias, q̄z mera ipsa uocabula. Inter hæc
 ergo reponimus, naxiurges, cnidiur-
 ges, cantharus pro nauī, silphas, cyda-
 li, ampheres, ancyromagus, quem Isi-
 dorus dictū ait, pro eo quod celeritate
 sua, anchoris & instrumentis reliquis
 nauīū uehendis sit aptus. Fuit & nauis
 mimortauia, & aliæ, de quib. sparsim,
 prout occasio tulit, toto hoc uolumine
 meminimus: & aliæ etiam nū fortasse,
 quæ, nos dū dormitamus, præteriere.

Eorum qui in nauibus uersantur uo-
 cabula. Cap. XIX.



Vp̄erest, ut eorū qui in nauibus
 uersant̄, nomina adscri-
 bamus: quin & ordo sic expo-
 scere uidetur, ut constructis & iam pa-
 ratis nauibus, in eas iam nautas impo-
 namus, quos, ut Vlpiani uerbis utar,
 accipere debemus pro eis qui nauē ex-
 ercent: quāuis nautæ etiā appellentur

omnes, qui nauis nauigandæ causa in nauis sunt, quos Anacharsis Scytha philosophus tantū abesse à morte dicere solitus erat, quot digitorū nauis esset crassitudo: cuius sententiæ & Satyricus noster allusit. Idem Anacharsis rogatus aliquādo, quænam foret nauis securior: ea, inquit, quæ in portū uenerit. Bias quoque nauigātes nec inter uiuentes, nec inter uita functos numerādos censebat. Sed his & talib. missis sententijs, illud in primis scire oportet, in re nautica, ut ceteris in rebus, ordines esse, ut per gradus quosdā ad summā gubernandę nauis officiū perueniamus: nam, ut rectè scribit Nazian. non ab initio gubernatorē nauis, nec subito faciunt, sed quē primū per omnia nautica officia exercuerint, expertique fuerint. Remigem primū uidere uolunt: deinde in prora cōstitutū, uētos noscere, saxa & scopulos probè euitare assuescunt: postremò in omnib. exercitatū.

muneribus in puppi collocāt, clauūq; in manu tradunt, gubernatoremq; cōstituant. Hæc ille. De gubernatore igitur primū agamus. Gubernator, hoc est, κυβερνήτης, est qui nauem regit atque gubernat. Ridiculi sunt, qui gubernatorem dictum existimāt quasi cohiber natorē. A gubernatore totius uitæ nostræ rationem Maximus Tyrius philosophus quodam sermone deflexit. Non uides, inquit, ut unus gubernator nauigationem moderetur, ut animus corpus; ut nauis gubernatoris imperio pareat, ut animo corpus; ut uenti nauem impellant, quemadmodum uirtutes fortuna; qui si tempestas exoritur, manente nauī incolumiq; gubernatore, salutis nunquam amittitur spes, siue nauis ipsa recto feratur cursu, siue arte tempestatem deuitet, dum tamen à gubernatore regatur. At si gubernatorem ipsum abstuleris, inutilis nauis efficietur, etiam si firmi-

tatem propriam seruat: & inutilis erit uentorum afflatus, etiam si secundus ac prosper fuerit: propterea & in mari, & in nauī, & in nauigatione, preciosissimus est gubernator. Tum ille paulò post subiungit: Sic in uitæ nostræ curriculo animus supremum sibi uendicat honorem, quemadmodum in nauī gubernator. Nobilis est illa etiam M. Tullij de gubernatore sententia in Catone: Similes sunt, inquit, ut si qui gubernatorem in nauigando agere nihil dicant, cum alij malos scandant, alij per foros cursitent, alij sentinam exhauriant, ille autem clauum tenens se deat in puppi. Idem in Philippicis: Et summi, inquit, gubernatores in magnis tempestatibus admoneri solent. A gubernatore Iabolenus Flaccus archigubernium deduxit lib. Digestorum xxxvi, pro eo qui sit gubernatorum princeps, uel classis præfectus: ita enim scribit ad senatusconsultum

Trebellianum: Saturnius, ait, archigubernius ex classe Britannica testamēto fiduciariū reliquit hæredē, Val. Maximum trierarchū. Legimus apud Stobæū, Cercitas fuisse Scythiæ populos, qui, si apud eos nauis gubernator fortè aberrasset, nec nauigationis cursum rectum tenuisset, ignominia notare, et sputis impetere eum solerēt. Sed de gubernatore satis, iam ad alios qui in nauibus sunt, sermo dirigať. Nauarchus est in nauibus princeps. Est & nauis dominus, is qui ipsius nauigij possessor est, ut in l. i. de exercit. act. Siue, inquit, dominus nauis, siue à dño nauem per auersionē conduxit. Vbi obiter notandum, auersione, uel per auersionem dici, cum periculum uenditor à se in emptorē auertit. Eodem modo Modestinus dixit, res auersione empti, de contrah. empt. Sequit̃ porro nauclerus, qui nauē regit, id est nauicularius. Tertullianus Florens de Marcione pōtico

nauclero & hærefiarcha: Quamobrē,
 ait, pontice nauclere, si nunquā furtiuas
 merces uel illicitas in acatos tuas rece-
 pisti. Sunt & trierarchi, qui triremibus
 præfunt, qua uoce & Latini utuntur,
 ut Cic. in Verr. Cor. Tacitus, & Iabo-
 lenus Iurisc. Est & pentecontarchus,
 qui pentecontoro præest, ut diximus.
 Sunt & nauftologi & nauftodicae, qui
 in nauib. rationib. & iudicijs præfunt.
 Sunt & scribe quos epistoleos græci uo-
 cant, quin & apostoles, hoc est ἀποστολῆς,
 magistratus fuere rei nauticæ iurisdic-
 tionem habentes, qui trierarchis iura
 dabant. Demosthenes pro Ctesiphon-
 te, & Philochorus. Apostoli quidem
 sunt classiū apparatus expeditionesq;
 maritimæ, ut ex primo Philipp. De-
 mosthenis didicimus, repetūt Harpo-
 cration & Suidas. Nihil hic agendū de
 uarijs huius uocis significatib. Latini
 quidem alio modo nauales scribas in-
 telligunt quàm Græci, Naualem enim

scribam, teste Festo, eum dicebāt, qui in naue apparebat, interq̄ aliud genus scribarū minimæ dignitatis habebat, quod periculis quoq̄ eius ministeriū esset obiectū. Plautus: Non ego te noui naualis scriba in columbari impudens &c. ut supra in nauium partibus retulimus. Sunt etiam qui in nauī thalassometram, hoc est, maris mensuram constituāt, qualis scilicet qui hodie tabulæ nauticæ, uel pyxidi sedulus assistit: nunquam tamen se in Hexahemero thalassometram audiuisse ait Ambrosius. Geometram, inquit, audiuimus, thalassometram nunquam audiuimus. Sunt & celeustæ, id est, iussores, quos Latini hortatores uocant, ut Plautus & Lactantius. Sunt uero qui uoce, uel sibilo remiges hortantur: unde & celeuma & celeusma ipsa uocis modulatio, cuius Pædianus, Diomedes, Seruius, aliq̄ meminere: ex quo & pes in poëtica dictus proceleusma-

ticus. Celeuma uero seu celeusma clamor est nauticus, cum uno aliquid iubente omnes pariter respōdent, quasi sibi inuicem iubentes, ἀπὸ τοῦ κελύειν, quod est iubere. In nauibus quidem classiaris celeuma interdum assa uoce, uel tibia canebatur, ita ut remiges pro modulorum & harmoniæ ratione uel concitarent uel inhiberent remos. Pædianus quidem cani remigibus celeusma per symphonicos seruos solitū olim fuisse, & per assam uocem, id est, ore prolatā, & ut in argo nauis, interdum per citharā. Martialis: Quorū per uada tarda remigātes Lentis figitis ad celeuma remos. At nostri nauē fermē uoce, uel parua fistula hortantur & celeuma canūt. De celeustis ab his, quæ diximus, diuersa Suidas tradere uidetur. Celeustas enim tricrarchis & proretis præesse affirmat, & epibatis, maximamque in nauis utilitatem afferre, & cætera quæ subdit.

De celeuste meminit & Pollux. At cer-
 tē hos hortatores remigum prisci Por-
 tisculos uocabāt, ut antē docuimus. Se-
 neca lib. epistolarū vij. paufariū in re-
 nautica appellat, cum qui dat remigi-
 bus modos, hoc est, qui eis uoce qua-
 dam clamando paufam imperat, ut ui-
 delicet celeustes ad remigandū hortat.
 Est & in nauī proreta, hoc est *πρωράτης*,
 qui & *πρωρεὺς* dicitur, qui prore insistit,
 cuius officium Suidas esse ait, ut remi-
 gantibus imperet. Sunt & nauicularij,
 qui & nauiculatores appellantur, qui
 naues meritorias agunt. Sunt & magi-
 stri, et ductores, & rectores, quorū om-
 niū crebra mentio, & poētis in primis.
 Sunt & qui remigant remiges, qui &
 focij nauales dici uident à Liuiō, tam-
 etfi alij de euocatis præsidij in clas-
 sibus intelligere malunt. Remigum
 uerò apud Græcos à remis ipsis uaria
 sunt deducta uocabula, ut est in pri-
 mis apud Pollucem, *ἑρέτης*, *ἰορέτης*, *ἐπίκω*

πος, ἐρέτων, ἀντορέτης, nã & sic uocat Thu-
 cydides remiges. Dicuntur & πρόκωποι,
 qua uoce Lucianus & Pollux utuntur.
 Remigantium autem tres ordines Sui-
 das & Aristophanis interpretes consti-
 tuunt. Qui enim subtus & in inferio-
 re nauis parte sunt, thalamitæ, & thala-
 maces, & thalami nuncupantur: qui
 in medio loco, zygitæ: qui uero in su-
 periore loco, thranitæ. Horum Thu-
 cydides, Aristophanes, Appianus,
 Pollux, alij meminere. Sed horum om-
 nium minorem exigebant mercedem
 Thalamitæ, quod breuioribus remis
 nauẽ impellerent: sicuti Thranitæ ma-
 iorem, quod longioribus uterentur,
 & ideo magis etiã laborarent, de quo-
 rum certa mercede uariẽ proditum ui-
 demus, nam & hoc tempore non sunt
 statæ mercedes. Sedenim ijdem ipsi
 Aristophanis interpretes id quoque
 tradunt, thranitas ad proram, zygitas
 in media nauis, thalamitas ad puppim

remigare. Sunt & nauium nauophylaces, à custodia denominati, & à lateribus tœcharchi. Sunt & qui naues trahunt, quos græca uoce Martialis, Firmicus, & Apollinaris, helcyarios uocant, ab helcyo, q̄d genus est funis, cuius uel Apuleius in ix. meminit. Helcyo, inquit, sparteo dimoto. Hoc nostrate uulgus nauticū, ut alibi diximus helcyanā uocat, quo fune naues ad amnium ripas & maris littora cum ab hominibus ipsis, tum sæpe à iumentis trahuntur. Helcyarios Budeus à nobis diuerse interpretatus est. Helcyarij, inquit, qui in naui onera funib. moliuntur, uel qui naues deducūt subducuntue, ad officia inuicē adhortātes, ut uno connixu pariter cōspirantes admoliri uniuersis uiribus possint, quod singulis nequeunt, ut fieri interdum uideamus. Sunt & epibatae, quorum frequens est mentio, non Græcis modo, quorum est uox, sed & latinis, nauales

milites & propugnatores classiarum, ut Herodotus, Xenophon, Demosthenes, Aristophanes, alij, ostendunt, & grammatici exponunt, ut Harpocratio, Pollux & Suidas. Vitruvius in ij. Artemisiam in eo portu abstrusam classem cœlatis remigibus, & epibatis comparatis, reliquos autem ciues in muro esse iussit. Sunt & qui epibatas & nau-machiarum eosdem putent. De nau-machiarum quidem Suetonius in Claudio meminit. Epibatas Isidorus Hispalensis aliter interpretatur: Epibata, inquit, greco sermone appellatur, qui latine dicitur superueniens: hic nihil habet negocii, sed nauulo dato in alias terras transire disponit: id quod & Græcorum quidam astruunt, quos inter Thomas magistri, qui & illud addit, quod ab Atticis epibate dicuntur qui armati in pugnam parati sunt, quo modo usus autores quos paulò antè citauimus. *Ἐπιβάται* uero ij. dicti sunt, qui ex curru pugna-

bant, ut apud Homer. At nautæ in bello *σαζιδος* dicti sunt, ut Phauorinus obseruat. Sanè ab eo quod epibatę uectores appellantur, quidã & uectoria ipsa nauigia *επιβαδος*, seu *επιβατιδος* nũcupari tradunt, quæ & epibatae & embatae etiam dicantur, qui super hoc malè Plinium citãt, cum Vlpiani sint uerba ex xiiij. lib. ff. quæ nos in emphractis adduximus. Vocantur & Naubatae ij qui superflui sunt, & in nauib. uchuntur, ut sequenti capite dicemus: qui & à Thucydide *πορίνεως*, quod & Pollux & Suidas probant. Idem & *πλωτήρδω* dicuntur, id est, nauigatores. Musæus tamen *πλωτήρα* natatorem Leandrum dicere uideť. Est & in naui qui *πορθμεύς* uocatur, quem nostrorũ quidam portitorem dixere, ut Seruius in vi. *Æneidos*. Alij non portitorem, sed transfretatorem interpretantur, uel traiectorum, at ij quàm rectè, ipsi uiderint, certe quem Vergilius portitorem dixit,

& Propertius cum cecinit, Vota mo-
uent superos, ubi portitor gra recepit,

Obferat umbrosos lurida porta ro-
gos, Iuuenalis porthmea uocauit:
Tetrumq̄ nouitius horret porthmea.
Sed & portitor dicit̄ græcè ναῦλος, unde
& portoriū ναῦλον & πόρθμι, & nauis ipsa
ἡ πορθμείον, ut pridem notauī. Alij tamē
aliter, ut in Homeri Odyſſea notant
grammatici. Sunt & in nauī qui meſo-
nautæ nuncupantur, ut Vlpianus in
xiii. ff. tit. ut nautæ, caupones, ſtabu-
larij recepta reſtituant. Quo loco Her-
molaus & Budæus ſic in nauī meſo-
nautam interpretantur, uilis mancipij
nomen, ut mediaſtinus domi, qui ui-
liſſima quæque miniſteria obit. Addit
Vlpianus eodem loco dietarios, quos
& alij diæcureos uocant. Vlpiani ſunt
uerba: Et ſunt quidam in nauibus, qui
cuſtodiaæ gratia nauibus præponun-
tur, ut enim diætarij, quo loco uerba
græca deſiderantur, quæ nec Budæus

nec Alciatus addidere, nescio an alius ad hanc diē: ego aliquando νεωφύλακος, nunc nihil statuo. Diætarios aliqui exponunt ministros in diætā deseruientes. Alciatus diætūreos legit, ἀπὸ τῆς διαίτης καὶ οὐρεὺς, id est, à diætæ custode.

Sunt & à lintre lintrarij, quorū idem Vlpianus meminit. Sunt & theori et paralij à nauibus dicti, de quibus in superioribus actū est: paralios quidem & paralos legimus. Fuerunt & apud Milesios qui uocati sunt sempernautæ, hoc est, ἀειναῦται, ciues & senatores, qui de rebus publicis consulerent: id namq; facturi naues conscendebant, ut est pluribus à Plutarcho proditum.

Nauis uocabulum unde, & quæ ab eorum græcè, tum latine breuiter declinentur: de portu, & nonnullis dicendi figuris. Caput xx. & nouissimum.

Posteua uero quàm mihi satis superq; uideor de ijs quæ ad naues pertinet, & earū appellationibus, in medium pro ingenij medio

diocritate attulisse, nunc demū nauis
 quoq; uocabulū, & quid significet, &
 quæ ab eo deducta deriuataq; tum græ
 cè, tum latinè, si fuero, quam breuissi
 mē potero, rimatus, non paruum ope
 raprecium fecisse uidebor, quando &
 hoc non parum ad rei cognitionem fa
 cere scriptorum pleriq; omnes existi
 mauere, idq; ipsi in cōmentationū sua
 rum statim initio, quod ego in calce
 non absque ratione facere distuli, na
 turam uidelicet imitatus, quæ res pri
 mo in lucem producere, tum demum
 eis nomina imponere uideēt. Vt cunq;
 & inter docendi modos & hunc apud
 philosophos repositum esse quis igno
 rat? Sunt ergo plurimi qui nauis uoca
 bulum græcū esse arbitrantur: ab illis
 enim *ναῦς* πῆρ' αὖ τὸ *νάω* *ναδ*, qd est fluo. Sed il
 lud sciendū, ab ipsis in recto casu nō u
 no modo proferrī, *ναῦς* enim *ναὸς* in ge
 nerandī casu, uel *νηῦς* *νηὸς*, & interdū *νῆος*
νῆως usurpant pro linguarū ratione. Ex

nostris aliqui nauem non à græcis, sed à No uerbo, quod est, nato, deducunt: uel à nauo, quod rectorem nauum nauis exposcat, hoc est, strenuum & celerem. Sed Pomp. Festus nauū à naue potius dictū existimat, unde nauo uerbum, & nauitas, nauia, & alia, quæ hodie ex antiqua consuetudine g literam seruāt, ex quib. cōposita, ignauia, ignauus, gnauē & gnauiter. Igitur nauis uocabulum utcunq; sit uel græcū & latinum, præter eius notionē propriā etiā ad alia transfertur, atq; in primis ad ea quæ fortunæ quasi nutu reguntur. Unde illud, Sumus in eadem nauī, & uento nauis agitur. Item, nauis est in portu, uel in uado: cum re est in tuto. sicuti etiam cum consilia non succedunt è uoto. M. Tullius ad Atticum: Prorsus dissolutum offendi nauigium, uel potius dissipatū. Sed et rimosam uel uetustam nauē dicimus, cū minus idoneū quempiā ad aliquid obeundum significamus.

ficamus. Sic & è nauì exire, cum è periculo nos subtrahimus. Sæpe & nauis ad rempub. transfert̃, quo modo Cic. & Demosthenes. Sed & Clemēs Roman. pont. in epist. ad Iac. fratrē dñi, & item Anacletus, Christianam rempub. nauì instructæ cōpararūt. Nauis item uocabulum pro uase capit̃, ut, nauis uinaria, quæ nunc à uernaculis Æmiliæ & Venetiæ, nauacia uocatur. A naue nauigium deducitur, quod modo pro naue ponitur, modo pro nauigatione, ut illud Iurisconsulti de uerb. oblig. Idq̃ creditum esse in omnes nauigij dies. Sunt & qui nauigiū locum nauigabilem putent, alij nauis ductio nem. A nauigio nauigiolū. Lentulus in epistolis Cic. Nos uix ipsi singulis nauigiolis reciperemur, qua forma & Græci πλοιαειορ dicunt, Cicero alijq̃ nauiculam. Sedenim Græci nonnullam inter naues & nauigia differentiam faciūt, ita tradentib. Ammonio & Didy.

μο : αὐτῶν τῶν πλοίων διαφέρει, τὰ μὲν γὰρ ὄντα
 στρογγύλα, αὐτὰ δὲ κωπήρεις ἢ στρατιώτιδες. hoc est,
 naues à nauigijs differūt, hæc quidem
 rotunda, illæ autem remigabiles & mi-
 litares, citāt Aristotelem de bellorum
 διακρίσει. A naue nauta deducitur, qui
 & nauita & nauicularius : unde & na-
 uicularia ipsa nauigandi ars, & nauicu-
 lator & nauiger qui nauem regit. Item
 nauicula & nauicella, & uerba nauigo
 & nauiculator. Hinc & nauitibulum
 uas, & nauia in uindemijs, & nauiti-
 cus adiectiuum : ut, clamor nauiticus,
 & panis nauiticus, hoc est, ναυτικός ἄρτος,
 & cætera quæ ad nauem pertinent,
 ut exuuiæ nauiticæ apud Ciceronem,
 & nauiticarum rerum scientia, apud
 eundem, & funis nauiticus. Item & u-
 sura nauitica, quæ duplex est. Vna quæ
 in alteram tantū nauigationem apud
 ueteres statuebatur, & græcè hetero-
 plus uocabatur. Altera ita contrahe-
 batur, ut nō aliter deberetur, nec ipsa

nec fors eius, quàm nauis cum mercibus' sospes ad domicilium usque redisset, & appellabatur amphotero-plus. De his mentio fit à Modestino cap. de nautico fenore, & à Demosthene aduersus Phormionem, & à Polluce in viij. Has Paulus maritimas usuras appellat. Traxere & hasin suum de asse Budeus, & in parcemias Erasmus. Deducitur & à nauis naufragium, naufragus, nauifragus, & uerbum naufragor, & nausea uomendi appetitus, & nauseo uerbum, & nauseolus. Item nautea pro aqua sentinæ, uel, ut alij dicunt, coriariorum: sed & nautea quoque herba est. Hinc & nauiscit, ut quidam tradunt, uerbum, quod de grano fabæ dicitur, cum aperitur ut nascatur, quod ferè sit nauis similis. hinc & nautilus piscis. Item Romæ Nau-tiorum familia, & Nauius, & Nau-tius nomina propria, & Naugerius nostræ ar-tatis uir citra inuidiam doctis.

A naue etiam naualis adiectiuum, ut
 naualis corona, de qua actū est. Hinc
 & nauale, locus ubi naues fabricantur,
νεώριον græcè dicitur, & *ἐπίνειον*, & *ναύλοχος*,
 & *ναύσαθμος*, non nihil licet inter se diffe-
 rant. Significat & *ναύσαθμος* aliquando
 classem, est & promontoriū in Africa
 Straboni & Melæ. Est etiam nauale
νεωσσίηκος, hoc est, tectum sub quo asser-
 uantur naues. Sed nauale quomodo
 construendum sit, & quale, præclarè
 docet Vitruuius in fine v. uoluminis.
 A nauali, naualis porticus dicta est, qđ
 naualibus esset uicina: hinc & naualis
 tuba. Martialis in primo: Et freta na-
 uali sollicitare tuba. Hinc & nauales
 focij, Liuius. Nauale bellum, naualis
 triumphus, Plinio. Naualis gloria, &
 nauale crimē, Ciceroni in Verr. A græ-
 cā quidem uoce, nauclerus, nauclerius.
 & naucleriacus, Plauto. Item nautes et
 nautia, id est, nausea, & uerbū *ναυτιάω*,
 quod est nauseo, & nautilia ars ipsa na-
 uigari

uigandi, & naulon præmium, seu portorium potius, ut dictum est: & ναυαγέω naufragor, & ναυηγός naufragus, & ναυάγιον naufragium. Item nauarchus, & nauocrator, nauis rector & dux: & nauarchis eius nauis, id est, prætoria: & naumachia, naualis pugna: & naumachus, & naumachiarius, pugnator: & ναυμαχέω uerbum, & naumachiarius pons Romæ: & ναύμαχα numero plurium, hastæ & contiquib. in nauali pugna uti cōsuemus, ut apud Home. interpretes obseruāt: & uerbū ναυτίλλομαι, nauigo: & ναυβάτης, nauta, hoc est, qui naue uehitur, item qui in nauibus superflui sunt, ut est apud Vlp. in fine xiij. Pandect. Et quidem, si quis, inquit, sit ex ijs quos uulgò ναυβάτας dicunt. Est & ναυσολία nauigatio, & uerbum ναυσολίω ναυσολῶ, quod est nauigo, & naues orno, & classem paro: & ναυπηγός nauis artifex: & uerbū ναυπηγέω, & ναυπηγισμός, & ναυπηγισμός.

quod nauibus construendis aptū est: et si hi nauium artifices à Græcis recentioribus dicti sunt *καλαφαταί*, qua uoce omnis fermè Venetia passim nunc utitur, calaface uocādo. Eo certe calaphate cognomine iam nonnihil declinante imperio Constantinopolitano, Michaël Imperator cognominatus est, quod parentes ipsius apud Paphlagonas naues cōstruxissent, ut Græci eorum temporum scribunt historici. Est & nauistologus uel nautologus apud Clementē Romanū pontificē, rationū uel calculi in nauī magister, *ναυσίποδες* uero insulani dicuntur, quod ex nauibus pedes habere uideantur. Item *ναυλόδικαι* nauīū iudices, & magistratus hoc nomine fuit Athenis: hinc & nau phylaces & nau phraeton, ut antè scripsimus. Sunt etiā nomina propria pleraq; græca à nauib. deducta, Nauficæ, Nauistrata, Nauficydes, Nauplius, Naufithous, Nauatus hæreticus, quæ

Nouatum nostrorū plerique uocant: item Nauficrates poëta, & Nautiorū familia; & Naucrari, qui principes dicebantur, ut est apud Herodotū. Notat & Suidas, licet in uulgatis codicibus Naucrati legatur. Meminit & Aristoteles in repub. Atheniensium, & Harparotion. Sunt item urbium & locorū nomina penè innumerabilia, ut Naupactos, Naucratis, & Nauplie aliquot, & Nausiporus fluuius, quod nauibus ad trañciendum facilis sit, & Nauportū, ubi Argo nauis trauecta est prope Tergeste in sinu Adriatico. Sunt & prouerbia à nauibus non parum multa, quę tum nos sparsim toto libro attigimus, tum eorum pleraque sunt copiose & eleganter ab Erasmo collecta.

Sed nostra iam perfecta nauigatione, quum ex alto in portum inuehamur, aliqua de portu ipso afferre, de quibus nonnullis dicendi figuris, non à pro

posito alienū duxi. Portus igitur locus est conclusus, in quo se tuto naues recipiunt, hyemantq̃: à portando dictus, quod & in eo importentur exportenturq̃ merces. Portus est uel naturalis, uel artificio, uel manu factus: ille græce λιμήν, hic ὄρμος & κώβωρ dictus. Est & statio, ubi ad tempus stant naues, ut ait Seruius, & quam plagiā uocamus, de qua poëta: Statio male fida carinis. Sed de cothone, quia id minus notū, nonnulla hic subiungam. Festus: Cothones, inquit, appellantur portus in mari interiores arte & manu facti. Seruius in i. Æneid. super ea Poëtæ uerba, Hic portus alij effodiunt: portus, ait, effodiunt, cothona faciunt. Cothones sunt, inquit, portus in mari nō naturales, sed arte & manu facti. Est autem & masculini & neutri generis. Hæc ille. Utitur autem hac dictione Appianus in Libyco, ut cum ait: Appetente uere Scipio Byrsam aggredi

& portum, qui cothon dicitur, expugnare instituit. Idem nec semel infra meminuit. Strabo quoque in fine ferè xviij. libri quum de Carthagine agit, Cothona insulam parvam dicere uideatur: ait enim, ὑπόκλυτῃ ἢ τῆ ἀκροπόλει οἶτε λιμῆνες, καὶ ὁ κώθων νησίον περιφερὲς εὐρίπω περιεχόμενον. hoc est, subiacēt arci, & portus & cothon parua insula in orbē ducta, euripocōprehēsa. Et paulò post: καὶ τῷ στόματι τῆ κώθωνος φρουρουμένῃς διώρυξαν ἄλλο στόμα. hoc est, ostio Cothonis custodito, effoderunt aliud ostium. Cothonis & Diod. Siculus meminuit, cum de Carthage alio portu ageret: Portus, inquit, in medio insulam continet, aquis abundantem, hortisq; accommodam, Carthaginensium quidē portu quem Cothona dicunt, persimilis esse uideēt. De portibus autem ita diligenter Vitruuius in quinto: De opportunitate quidem portuum non est prætermittendum, sed quibus rationibus tuean

tur naues in his tempestatib. explican-
dum. Hi autē naturaliter si sint positi,
habeant ὀκρωτήρια, siue promontoria
procurrentia, ex quibus introrsus cur-
uaturæ, siue uersuræ ex loci natura fue-
rint conformatæ, maximas utilitates
uidentur habere: circū enim porti-
cus siue naualia sunt facienda, siue ex
porticibus aditus ad emporia, turrēs-
que ex utraq; parte collocandæ, ex qui-
bus catenæ traduci per machinas pos-
sint. Sin autem non naturalem locum
neq; idoneum ad tuendas ab tempe-
statibus naues habuerint, ita uidetur
esse faciendum, uti si nullum flumen
in his locis impedierit, sed erit ex una
parte statio, tunc ex altera parte stru-
cturis siue aggeribus expediātur pro-
gressus, & ita conformandę portuum
conclusiones. Hactenus Vitruuius.
Portus uerò laudes, seu uituperatio-
nes si cupis, Iulius Pollux in primo
exequitur: & perinde iam nos pauca

de dicendi modis ac figuris, ut polliciti sumus, reddamus. In primis, inhibere remos dicimus, & nauim, ut apud Ciceronē, Quintilianum, Liuium, alios. Vergiliū ex nauigātium ratione illud appositē in VI. dixisse uidemus, quanquam id parum notent interpretes: Obuertunt pelago proras. Sunt & illa, tenere, subire, petere portū, ostia. Item, nauem edificare, cōstituere, instituere, Cæfari, Plinio. Deducere è naualibus, educere è portu, subducere nauem, & ad terram detrahere, instruere nauem armamentis, comparare nauem, sumere, conducere, unde illud, nauis cōducta, quoad peruētum sit eò quò sumpta est. Nauis non domini est, sed nauigantiū. Se in nauim incitare, nauim conscendere, ingredi, è nauis egredi, desilire, se proijcere. Sunt & aliæ figuræ plurimæ, in quibus alij iam elaborarunt: græcè uerò diligentissimè collectæ sunt ab Iulio

Polluce in primo, atque adeò ab hoc labore supersedendum mihi uisum est.

Habes Dux maxime, quæ de tota re nautica mihi dicenda uisa sunt, imò pleracq; etiam quæ uideri possint à me curiose, ne dicam anxie conquisita. Sed id certè mihi præstandum fuit, ut ne si qui post me idem fortasse conabuntur, ulla nauigationis ratio requirenda esset, sed orationis tantum cultus adhibendus, quæ ut ego minus præstare meapte natura potui, ita illum etiã sepe neglexi, ut, quod uolebam, planius rem patefacerem, nihilq; præterirem. Nostra tamen hæc qualiacumq; sint, si cum ijs conferantur quæ ab alijs adhuc prodita sunt, non à te modò, qui tuos semper ornasti, sed à candido lectore spero studij ac diligentia commendationem habitura.

FINIS.